


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
71
10 A
10


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
71
10 A
10

VITA
OANNIS DVNSII SCOTI FRANCISCANI DOCTORIS SVBTILIS.

ET APOLOGIÆ PRO EODEM.


VTHORE MATTHÆO FERCHIO Veglense Min. Con. Doct. Theol.



conuent' Sancte Marie descala

Sononiæ 1622. Et iterum Neapoli 1629.
x Typographia Io. Dominici Roncalioli.

Superiorum Permissu.



HILIPPI IIII.
VSTRIÆ MAIESTATI CATHOLICÆ.

ter Ioseph à Capua Minor Conuentualis, nihilhomo, cuiuscumq; gloriæ pondus exoptat.



Ensatorum communi iudicio tubæ lituoque vel auræ plumis expositis siuè obscura, siue clara, ad eius signandam inimpedibilitatem, memphiticè commendata fama; alte-a si vel clarificari vel obfuscari tentetur, uldubio itidem lituis vel auræ parenti-

bus necessariò commendâda sistit. Offusca-tam olim à sonora tuba vel eloquenti aura Pauli Iouij, & nunc ab acri Bzouij & Mate-nesij fistula vitæ doctrinæ, & mortis denuò denigratam Theologorum Subtilissimi Prin-cipis claram famam luci restituere volens Adm. Reu. P. Matthæus Ferchius Veglen-sis, Seraphicæ Conuentualitatis fulgentissi-mum sydus, ex authenticis tàm antiquis, quàm modernis scriptoribus & monumen-tis àd supradictas Tubam & Fistulam no-uissimas Apologias, melodicas quidem pro tanto Doctore contrarias tubas, auratasq; plumas, & ex eis eiusdem dulcissimam vitæ auram fœlicissimè composuit: sed orbis am-plitudini religiosa pauperie diues, sobriè typis exposuit, & transcendentes (quod debuerat) sæculi partes non quæsiuit. Hoc igitur tantummodo supererat, vt & plurali-bus typis vbiq; terrarum pro viribus vlti-mis diuulgarentur, & alicui sæcula transcen-denti dicarentur, committerentur, adhære-rent. Cuius negotij prouinciam, vt tanto Patri, Subtilissimo Theologorum Principi, & Religioni Seraphicæ Matri, quin & ipsi

icati morem geram, Deo Duce, in eiuſ-
m religioſæ pauperiei potentia audens,
cipiens ipſe; aptiùs ac iuſtiùs vlli, quàm
uſtriæ Catholicæ Maieſtati Tuæ natiuus
nulus conſecrarem. Quandoquidem, ſi
diantem ſingulariter adoro talem ac tan-
m Auſtriam Maieſtatem Catholicam,
atholicas intelligo has eſſe ſingulares tàm
heoricas quàm practicas ſupra cunctos in
ac luce partes; petẽtibus cunctis in cunctis
uxilium humanitùs impendere, non peten-
ibus Diuinitùs offerre, nolentibus inferre;
ac ideo cuiuſcumq; conditionis & ſtatus
omnem vtilis delectabilis & honeſti ſplen-
dorem docere, præbere, regere, conſeruare,
tamdem & augere. Teſtatur experitur hoc
non inuita natio quæquæ, & inter eas cum
Apoſtolico Domno quilibet Eccleſiaſticus
Ordo, regnis in auſtrijs nullis adſtricti con-
tributionibus, & proprijs iudicijs vbiq; li-
beri, exempti, & honorati. Ita ut non im-
meritò, ſicut eadem Eccleſia, illius fides, &
vtriuſq; Paſtor, Catholica verè dicatur, & ve-
riſſimè ſit Auſtria Tua ſola Maieſtas. Quod
quidem vel ſolo hæreditario nomine, ana-

 gram-

grāmaticè & naturaliter portēdis: Filippus enim idem est, ac Filius P. P. Austriaque, laus Triadis ethymologicè sonare videtur. Quare & Diuini Nominis fari sāctificatio cogit. Cuius Minister & Vas etsi in Ecclesia, vel veteri vel noua surgēti Moses potētia, Paulus doctrina fuerit, his tū vltimis mundi diebus vel Austria Tua sola Maiestas, ad hoc Diuinitùs catholica facta, tàm potentia quā doctrina illius Ministra Vasq;, Potentes atq; docentes prouidè destinando, ducendo, & est, & sufficit. Omnibus enim ex Austria Maiestate Catholica, ac si ex Apostolis, procedere patet tàm feruidè à Christo Domino expetita, tàm frequenter à fidelibus desiderata apud incultas Indiarum gentes continua Nominis Dei sanctificatio, sanctificationis extensio, extensionis conseruatio. Non plus, imò minus decoris, honoris, atq; potentiæ in omni gloria sua Salomon habuit, eius tantummodò nominis fama, non fide atq; potentia illùc ad Insulas procùl quàm difficillimè peruenta: & auro metallico, non humano, ex permutatione fortasis inde sumpto. At Catholicæ

Maie-

ieſtatis Auſtriæ & fama, & fides, & Po-
tia vnà ſimul illùc appulerunt, & in ęter-
n permanent: atq; aurum tàm metalli-
n, quàm humanum in Martyribus, Con-
ſoribus, atq; Virginibus & indè & aliun-
ſumit, & in vtroq; empyreo, eum deco-
ndo, locat. Itaut Salomonis tanta Maie-
is Catholicę Maieſtatis Auſtrię vmbra fi-
raq; fuerit, & de ea, ecce plùsquam Sa-
mon hic, dici queat. Nec mirum, ſi Tuę
Catholicę Maieſtatis etiam glorioſa con-
emplemur multiformia ſtemmata; certè
edum ſemideorum omnium regias au-
as, receptacula vera, manſiones delicio-
as, ſed propriè Deorum & Excelſi filiorum
liuerſis manerijs diſtinctum empyreum
cœlum, cuius inacceſsibilis ac indeficiens
lucerna eſt Aurei Velleris Agnus. Ac deniq;
propheticum quoddã examinemus elogiũ.
Deus àb Auſtro veniet: Habacuc, & Au-
ſtriam Metropolim Ieruſalem, & Auſtriam
intelligendo Maieſtatem Catholicam, ce-
cinit. Quia Deum in carne, Ieruſalem Au-
ſtriaca Metropolis Occidenti & veteri mun
do peperit: & Deum incarnatum Orienti
& nouo mundo Auſtriaca Maieſtas in Spi-

 ritu

ritu pārit. Hoc illud est, quod plusquàm Propheta Ioannes Baptista, coram Domino supernæ magnus Hispaniæ totis præcordijs, quùm, Audite Insulæ & attendite Populi de longe: Dominus ab vtero vocauit me (apud Vos præcursorem suum) dixit, anhelauit: sed in Austria Maiestate Catholica, non in eo, completum est, atq; completur. Quo fit, vt Deum ipsum multiformem multiformis in stemmate, Sceptro, atq; Corona, aureo Vellere, Emmanuelem capituidm omnium signante, conclusis, & circumseptis, Austria Tua sola Maiestas catholicè repræsentet, & Catholicis meritis multiformiùs simùl & vniformiùs in dies æternos repræsentare cœlitùs consequatur. Bone Deus, quantum gloriæ cœlis, pacis in terris, dilatationis, atq; splendoris in Ecclesia, augumenti, roboris, & Maiestatis in Austrio Diademate hæc Dei sanctificatio & attulit, & affert, & afferet? Tot ordinatis in vitam æternam stupent cœli: Tot ordinandis stupet Mater Ecclesia, dicens in corde suo, & quis genuit mihi istos? Tot nouis ædificatis Ecclesijs magnificatur Rex pacificus, sanctificatur caput earum Christus, tàm ingenter.

ter excrescente corpore eius: ac denique Austriæ familiæ semper Augustæ incomparabilibus meritis cruciatur infernus, exultat orbis, reseratur olympus, syderatur empyreum. Quid plura? Austriæ Maiestati, pro nouiter purgatis, illuminatis, atq; perfectis Granatæ, Brasilis, & Flandriæ Partibus, orbẽ capitulandi, regendi, coronandi, symbolum, Potestas, Authoritas nouiter in dies firmissimè certissimè cœlitùs dantur. Hæc nãq; secũ fert Austriæ tuæ Fidei semper viuæ meritũ. *Hinc Apostolus. Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Et ò mirum. Nedum climata quæquæ symbolũ tantũ, potestatẽ, authoritatemq; tantam Austriæ Maiestati Catholicæ confitentur, verùm & ipsa Catholica Maiestas Austria, velut alter Moses ea in se physicè præsentit. O quàm beati nos populi tui, quorum Rex tàm nobilis: quin & tàm fortis & potens, vt & serpẽtẽ antiquũ in tot hæreticis, schismaticis, iudeis, idololatris, atq; morischis, & maumethicum tartarum velut alter Michael; Quis vt Deus? sub pedibus solus, solus habeas. Quis tibi non seruiret optimæ mentis? Ad hos igitur, prè cæteris infinitis, in Austria Catholica Maie-

ſtate Tua conſideratos repertoſq; ad ſplendores Sanctorum Diuinos fulgores, toti mundo erigenda, atque glorificanda præſentibus recurrit Apologijs, & vitæ, mortiſq; immaculatæ hiſtoria vera, ſubtiliſſimi Theologorum Principis probabilis Sanctitas, ac ſanctitatis liuidorum nebulis obtenebrata fama: exaltata iam ſæpè ſæpiùs ab Auſtria Maieſtate Catholica illius doctrina Seraphicè ſubtiliſſima, ſupple de Deiparæ Immaculatæ Conceptionis arcano in vniuerſo mundo: quin & eius omni Doctrina ad Hiſpaniæ ſtudiorum illuminationem atq; perfectionem, noctuis recuſantibus, à Catholica Maieſtate Tua (cui nos quoq; Conuentuales omnes perennes gratias agimus)nouiter celebrata atq; glorificata.Quæ ſponte cœpit Catholica Maieſtas Auſtria, voluntariè (precamur) Ipſa perficiat. Catholica Maieſtas Auſtria exaltauit Scoti Doctrinam, exaltet & Scoti perſonam, conſequens eſt. Qui cœpit, Apoſtolus ait, Ipſe perficiet. Certè vel hęc vna Subtiliſs. Theologorũ Principis de Deiparæ Virginis Immaculata Conceptione ſẽtẽtia miraculorũ eſt miraculũ maximũ: quippe quæ ex totius

ſa-

ſacræ ſcripturæ quinta eſſentia nouiter meritis ſeraphici Patris à ſeraphica Conuentualitate extracta eſt, & Auſtriaco medio flamine tàm ſummo Dei quã imo tui quàm citiùs manifeſtanda dogmatizandaq; manet. Accingere igitur, velut Emmanuel, gladio tuo ſuper fœmur tuum potentiſsimè. Specie tua & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna. Certè & Idem Ipſe Scotus miraculorum eſt miraculum maximum. Pauperes euangelizari, ſupra mortuos ſuſcitari, Saluator, quùm dixit, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur: cenſuit, exiſtimauit. oportet namq; orationem creſcere. Subtiliſsimus Theologorum Princeps Scotus pauperum euangelizatorum vnus & principalis eſt; quippe qui puerulus Orationem Dominicam, à Franciſcano Fratre ſemel ei recitatam, Diuinitùs appræhendit, replicauit: & pariter talis ac tantus euaſit, vt eius ſententiarũ & dictorũ nec Eccleſia Catholica nec Vniuerſitas vlla vel minimũ quid detraxerit, vel correxerit. Ergo quia eorũ ſapiẽtũ Princeps & ſubtiliſſimus eſt, de quibus Ariſtoteles: Sapientes non peccant. Ergo quia ſemper & à ſpiritu

& cum

& cum spiritu Doctus ac euangelizatus. Ergo quia supra mortuos suscitare & susci-tari, miraculorum est ipse miraculum maxi-mum. Vt sic vltra visibilia in hoc vel illo materiali subiecto quæ cœpit coruscare mi-racula, principaliter intelligibilibus, velut Alter Ioannes & Baptista & Euangelista, Testimonialis Doctrinæ miraculis sanctus esse, fuisseq; demonstretur, inter duos Ioan-nes ipsos, alterum Baptistam, Euangelistam alterum, ceteris Sanctis Doctoribus circum-quaq; iubilantibus, collocatus: secundùm illud: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Accipe igitur Diuum Scotum, iuridicè tuum Catholica Sacra Maie-stas, & in intimo cordis tui reclina ma-nerio. Dignus est enim Deiparæ immacu-latæ Conceptionis Curator & Tutor. Ca-tholica namq; Maiestas tantum onus, tan-tum opus, tantum decus denegare non po-test: sicut nec syderei ciues suffragabiles actus, in sua fœlicitate formaliter inclusos, nobis denegare valent: negares namque, pariter ac illi sibimet, tibimet; & eo maxi-mè, quo depræssionum torrens, in Austrio (non alibi) solatia reperire, Propheta si-

gnante,

gnante, natura docente, Deoque ducente, verti potest & debet. Hinc offerens, apertè peto, pulso, clamo: Ac etiam, quia viri nihili, vt ipse sum, secretò non audent: & si auderent, non admitterentur, & maximè procul stantes. Et hinc Catholica tua tanta Maiestas e contra exultans accipiat, accipiendo exaudiat, exaudiendo aperiat, factis, vt solet, aperiendo respondeat. Altissimus enim, cuius formam omnium admiratione iubilationeq; geris, Antipodas nanosq; & propriè quæ non sunt, tamquam sint, alloqui, vocare, & exaudire dignatur. Quòd si donum, quia alienum, minus gratum apparere posset; Vnum hoc acceptationi gratæ sufficiat: quia qualecumque est, Catholicæ Maiestati Tuæ debetur. Quòd si ausum tantum quis iudicaret effrontem! Catholicæ Maiestatis Austriæ vera pietas atq; iustitia & discipulum sui Magistri obligatum commendatorem, & naturalem Austrij Domini sui seruum, toto corde cultorē excuset, dignificet: eius proprios, licet paruos, semper fœlicissimus in tributum expectando labores. Neapoli, Kalendis Ianuarij. 1629.

AD AMICVM LECTOREM.

SCripseram Coloniæ tres Apologiæ libros, Amice lector, superioribus annis pro Io. Duns Scoti singulari authoritate, innocentia, doctrina. cum visum est separatim debere me tum ex probatissimis quibusq; authoribus, tum ex Apologia ipsa Doctoris Subtilis vitam contexere in Narratiua; quoniam alia est Apologiæ ratio, alia historiæ: apologia cum hoste, historia cum ciue loquitur; illa disceptat armata, hæc pacifica narrat; multa illic ex aduersariū placitis dicuntur, hic omnia ex re ipsa, propterea quod apologia ad victoriam, ad veritatem aspiret historia. In apologia sanè, neque omnia, quæ dicuntur ad Scotum pertinent, neque omnia quæ pertinent, afferuntur: sed ea duntaxat, quæ instituta disputatio desiderare videatur. In historia verò cuncta, quæ ad natales, vitam, mortem Dunsij spectant, ordine, quo ad fieri potuit aptiore, collegi: qua edita, spero me finem assecuturum illarum, quæ mihi impositæ sunt, Scoti defensionum. Eas in Io. Duns claritatem, S. Francisci honorem, Dei gloriam, atque in omnium nostrum salutem. Deus ipse Opt. Max. dignetur conuertere.

Vale.

EX-

D. THOMAS DEMPSTERVS


à Muresk Scotus

I. C. & Humanioris,

Literaturæ Bononiæ professor primarius.

Scholæ Scotistarum in Scotum præfixit.

Scotia habet cunas, famã orbis, funera Rhenus,
Cœlum animã, hinc magni spirat imago viri.



PHI-

D. DOMINICI GALLINEAP.
PHYSICI ET CELL.


IOANNES SCAHOHT VIS

Anagramma.

Is acuit hos omnes.

Epigramma.


Quotquot supremi pandunt arcana Tonantis
Luce hac cuncta vident, hoc Duce cuncta docent.
Et quotquot fidei exponunt sacra dogmata Is *vnus*
Hos Omnes acuit *solus*; Is *vnus agit*;
Ergo inter reliquos est, vt acutior omnes
Est quoque pre meritis dignior in reliquos.



VITA IOANNIS DVNS SCOTI FRANCISCANI.

Cognomento Doctoris Subtilis, Academiæ Subtilium Principis.

CAPVT PRIMVM.



I. RITANNIA Europæ Insula nomen à Brito Iulij Syluij Posthumi III. Latinorum Regis Filio; qui primus in ea Rex anno mundi 2855. constitutus est, obtinens *ex Ioanne Pitseo relat. Historicarum de rebus Anglic. tom.* 1. *pagina* 62. in Septentrionali Oceano ab austro Galliam triginta milliaribus dissitam, ab ortu mare Germanicum; à occasu Vergiuum, aut Hibernicum, à septentrione Deucalidonium aspiciens, duas in partes diuiditur, alteram australem, quæ Anglia, Borealem alterum, quæ Scotia est appellata. Secernuntur hæ partes duplici æstu maris, aut fluuio, qui ab occidente Suluaius, ab oriente Tueda dicitur, medij sunt montes Ordeluci, vulgo Cheuiot, vbi olim pictorum regnum. Hibernia insula Britanniæ proxima, Scotiæ occidentalem, Angliæ borealem plagam occupat. Hæ tres præclarę prouinciæ, immo tria regna amplissima certant, vt quodlibet Ioannem Dunsium Scotum Doctorem Subtilem tanquam ciuem suum sibi vendicet. Pro Homero septem vrbes

Græciæ pugnarunt, prout lepidè Actius Sincerus Sanazarius cecinit in epigrammatum lib. 2.

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ
Cedite iam: cœlum Patria Mæonidæ est.

Ast longè gloriosius pro summo Theologo, quàm pro summo Poeta tria præliantur opulentissima regna: sed Cœlum potius patria Dunsij est, quam ardentibus charitatis, & sapientiæ tormentis Christi miles rapuit violentus. Hæc sedes Ioannem in æternam requiem suscepit; at quæ regio eundem ad labores temporarios enixa sit, iucundum est quærere.

II. Hiberni Doctorem subtilem Hibernum ex vrbe Episcopali Dun ortum asserunt. Angli verò Anglum ex comitatu Nortumbriæ, Parœchia de Emyldon, villula Dynstan, contractè Dyns vocata, natum putant, Scoti autem ex Prouincia Scotiæ, cui Marchia nomen est, ex vico Duns exortum scribunt. Citantur pro Hibernis, Ricardus Stanhurtus in descriptione Hiberniæ; chronicon Angliæ, Hiberniæ, Scotiæ Anglico idiomate scriptum fol. 457. Ricard. Conueus Iesuita tractatu de sanctitate, & litteris Hiberniæ. Mauritius Hibernicus in prologo expositionis super vniuersalia Scoti, qui & Scotię nomen homonymum censuit ad Scotiam maiorem, quæ Hibernia esset, atq; ad minorem Scotiam, quæ Britanniæ pars est, & communiter dicitur Scotia. Scilicet eludendis auctorum testimonijs, non proprio asserto roborando id conducit: vt qui Doctorem subtilem Scotum dixerint, de maiori Scotia dixisse intelligantur. Cum tamen Scotiæ nomine absolutè prolato minor Scotia intelligatur, profectò de Scotia Britanniæ auctores locutos crediderim, qui Ioannem Dunsium absolutè Scotum pronuntiarunt. Pro Anglis sunt Ioannes Pitseus Anglus lib. sup. cit. in catalogo de Illustribus Angliæ scriptoribus, scriptore 442. & Lelandus de Britanniæ antiquitatibus, quos Illustrissimus Bellarminus

minus in lib. de scriptoribus Ecclesiasticis aliquando secutus, postea deseruit. Probant verò illi ex codicibus Scoti manu scriptis in Collegio Martonensi, quæ sic habent. *Explicit lectura doctoris Ioannis Duns nati in quadam villa de Emylden vocata Dynstam, contractè Dyns, quæ est in comitatu Nortumbriæ.* Sed librarius illos codices scribens parum scitè vocat Duns villam, quæ Dyns vocatur, aut contra, & nullam fidem facit. Pro Scotis egregiè depugnat Eccellentissimus Dominus D.Thomas Dempster libello inscripto, *Asserti Scotiæ ciues sui*, In quo duodecim rationibus Ioannem Duns asserit Scotiæ, & 45. auctoribus citatis potenter euincit. Grauiores mihi testes pro Scotis videntur tum Scoti auditores, tum alij contemporanei. Ex auditoribus, Franciscus de Mayronis III.
præceptorem suum Scotum esse asserit sæpe, sed præsertim in 1. d. ?7.q. 1. *Dico ergo*, inquit, *secundum Doctorem, scilicet secundum Ioannem Scotum.* Ioannes Bassolius in 1.q. Prologi scribit. *Adducitur ad hoc vna ratio ad probandum, quòd sic à Scoto in Quolib. suo q.6.* Idem Bassolius *in 2. d. 6. q. 1. Nota*, inquit, *quòd iste Doctor, Scotus scil. cui imponitur ista opinio, non dicit, sicut illi imponunt sibi.* Antonius Andræas in calce Commentar. super duodecimum Metaph. ait, *Magister Ioannes Duns, qui fuit natione Scotus, religione Minor.* Ex alienis coæuus fuit Scoto author summæ Astensis, qui & summam orbi protulit anno Domini 1317. Is autem fol. 3. scripsit. *Frater Ioannes Scotus famosissimus, & subtilissimus.* Gonsaluus Generalis Minister Ord. Min. Conu. in epistola data 14. Kal. Decembris Anno 1304. quæ infra habebitur, ait. *Secundum statuta Ordinis, & secundum statuta vestri Conuentus, Baccalaureus huiusmodi præsentandus ad præsens debeat esse de aliqua Prouincia aliarum à Prouincia Franciæ, dilectum in Christo Patrem Ioannem Scotum, &c. Assigno post dictum Patrem Ægidium principaliter, & ordinariè præsentandum.* Cum

igitur ex debito prouinciarum ordine Baccalaureus offerri deberet, oportebat Generalem probè cognoscere, an Ioannes Scotus esset ex Prouincia Hibernię, an Angliæ oriundus, nam sub Angliæ prouincia Scotiæ Conuentus continebantur. Sanè religiosi distinguentes prouinciam à prouincia, Hiberniam à Scotia, Dunsium ab Hibernia, non à Scotia, si fuisset Hibernus, vocassent. Quin & ipse Doctor subtilis Hibernum se, nō Scotum, subscripsisset. Cur enim Mauritius non appellauit se Scotum, vel Dunsium non est ausus Hibernum appellare? Nimirum amor patriæ pro Hibernia, timor veritatis pro Scotia certabat. Itaque Mauritium; qui se Hibernum non Scotum, Hibernis: Ioannem, qui se Scotum non Hibernū
IV. subscripsit (*prout cap. 6. constiterit*) Scotiæ decernamus. Porrò Scotia de nomine Scotæ Regis Ægypti filiæ nuncupata, Illustris. sapientibus, sanctissimis viris, fortissimis Heroibus feracissima, inter prouincias Meridionales (*Io. Maior apud Ortelium in Theatro has laudat*) primam habet Marchiam, quæ *Tueda)* Ioannes Leslæus in lib. de orig. moribus, & reb. gest. Scot. cap. 7.) *Flumine Germanicum mare ad Portha æstuarium intrante, & Laudonia terminatur. Frugum hæc feracissima est, sicut & ea quæ ad Mediteranea illi adiacet, Tifedalia, à Tifo amne Tuedam influente ita dicta: Quarum vtraque numeroso, eoq; strenuissimo milite abundat. Habent hi raras syluas, raraq; alia ignis fomenta. Inter istos complures sunt viri nobiles & vt plerique omnes, præcipuè tamen Marchiani iustitiam colunt, & rebus politicis student: Dissimiles admodum cæteris ferè omnibus limitum incolis, qui nec pace, nec bello à prædis abigendis compesci possunt. Habet Marchia vicos, potissimum Dunseum, ex quo Doctor ille celeberrimus cognomine Subtilis oriundus erat.* Hactenus ille; Deinceps Ecclesia Dunsei parochialis S. Patricio dicata est, quo fortasse collimat Antonius Andręas in 7. *Metaph. comment.* 17. Familiare

re forsan Doctori subtili præceptori suo exemplum afferens, de patrono patriæ S. Patricio, ac de patre religionis S. Francisco. Visitur ibidem parietina domus, in qua natus est Ioannes Duns: quin etiam consanguineis, & honos habitus, & nomen patriæ, vt gentilitius est concessus in gratiam tanti Doctoris, quemadmodum Thomas Dempster vir omni bonarum artium peritia instructus in libello citato differt. Igitur secundum sæculum è Regno Scotiæ, prouincia Marchiæ, vico Duns, Doctor subtilis noster mundo illuxit. Nunc ad Religionem transgredior.

CAPVT SECVNDVM.

Christiana fides sexagesimo ab ortu Seruatoris anno creditur per S. Iosephum ab Arimathia Britannis euangelizata; illud ratū est anno Christi octuagesimo supra centesimum, *ex Ioanne Pitseo, sed ex Ioāne Leslæo car.* 111 *anno* 186. Eleutherio primo Pōtifice Lucium I. Britannorum regem Christi religionē suscepisse: Donaldum I. item Scotorum regē anno 203. Victore I. Pontifice, vt significāt subscripta carmina. V.

Christi transactis tribus annis atq; ducentis
Scotia catholicam capit inire fidem.

Certumqne est Britanniæ, atque Scotiæ reges omnium primos Christianam religionem cū suo vtroq; populo professos fuisse (*Io. Leslæus car.* 114. *Io. Pitseus tom.* 1. *c.* 14.) nisi Abgarus Edessę rex apud Eusebium *lib.* 1. *c. vlt.* excipiat. Maximam verò laudem Scotia, quod celeriter Christi fidem sit amplexa, promeretur: sed cui non postremā adiecerit, cū simili celeritate Franciscanum excepit institutū. Franciscus Gonzaga Generalis Minor. Obseruātum *in lib. de orig. Seraph. Relig. in Scotiam car.* 848. Franciscanā Religionem ait in Scotiam penetralse anno salutis 1224. atq; ad annū 1400 quatuordecim Conuentus habuisse: anno demum 1447. Iacobo I. Rege Franciscanos obseruātes primū

Conuentum Edimburgi in regia Scotiæ obtinuisse. Quo fit Ioannem Duns, qui circa 1300. vitam traduxerit, ex Min. Conu. familia prod jsse. Bartholomæus de Pisis *in conform.* 8. *car.* 94. *col.* 3. *confor* 10. *car.*148.*col* 3.*& car.*161.*col.*2.docet à S.Francisco post confirmatam secundam regulam per Honorium III. anno 1224. (*chron.Fran.par.* 1.*lib* 6.*cap.*31.*ann.* 1219. *&c.*) destinatum fuisse Ministrum Prouincialem in Angliam Fratrem Angelum de Pisis, & eum benignè ab Henrico rege exceptum, Oxonij locum ædificasse. Ioannes Pitseus putat cum Thoma Ecclestono in opere, quod scripsit *De Aduentu Minorum in Anglia*, Fratres eius ordinis primum in Angliam venisse an-
VI. no 1224. vel potius 1226. primumq; Monasterium habuisse Cantuariæ, secundum apud Carnhil. Londini. Thomas Dempster cum Scoti chronico *lib.* 9. *car.* 48. docet ad annum 1262. ędificatum Dunfrisij (Dunfresum est in prouincia Scotiæ Nidisdalia. *Io. Leslæus car.* 8.) primum omnium conuentuum Franciscanorum in Scotia, opera, & pietate Alani Galueię Principis trigesimo primo anno ab ingressu ord. Minorũ in Scotiam. Quamobrem anno 1231. astruit Minores in eam prouinciam appulisse: hoc est paulò post mortem D. Patris Francisci, qui anno 1226. in cœlum euolarat. Modica varietas 12. annorum est; verò similius arbitror in Angliam primum, mox in Scotiam minores ingressos; Quoniam regna hæc iuxta sęcularem potestatem diuisa, iuxta religiosam coniuncta sunt in vnam prouinciam sub Angliæ titulo, *quemadmodũ apud Petrum Rodulphum Tossinian. in lib.* 2. *Histor. Seraph. Relig de prouincia Angliæ post Bartholomæum Pisanum in conformitate* 11. *constat.* Ordo quippe Minorum in prouincias, prouinciæ in custodias, custodiæ in conuentus distinguuntur, quibus gradatim respondent quatuor Prælati ordinariam in Religione iurisdictionem habentes, Generalis, Pro-

uin-

uincialis, Custos, & Guardianus. Iam verò in Angliæ prouincia, custodia Nouicastri continet locum Dunfrisij, locum Beruici, locum Adintonæ, locum Dundæ, & alios procul dubio Scotiæ conuentus. Quare ab Anglis Religio migrauit ad Scotos, & Franciscanorum Monasteria Scotorum, Anglicanæ prouinciæ aggregauit, viuitque. Hæc vnio secundum Religionem Franciscanam omen fuit vnionis secundum sæculum (nam nostri ordinis vnio, vel diuisio tum spirituali, tum temporali potestati vnionem, diuisionemue sæpius præmonstrauit) Scotiæ nanque, & Angliæ olim diuisi Reges, nunc vnus sceptra tenet magnę Britanniæ Iacobus VI. à Scotis regibus prognatus. Rem miram narro. In lapidea cathedra Scotorum reges à Fergusio primo ante ortum Christi anno 330. ad Robertum Bruseum I. post ortum 1300. inaugurati. Tùm verò ab Eduardo I. Anglorum Rege è Scona in Scotia ad Vvestmonasterium Londini, vbi nunc reseruatur, ea transportata est. Putabatur vtique Scotorum regnum, vbicumque esset portendere; Sic in ea multis iam sæculis scriptum,

Ni fallat fatum, Scoti quocumq; locatum.
Inueniant lapidem, regnare tenentur ibidem.

Euicit fatalis diuina dispositio, cùm nostro æuo, clanum Ecclesiæ vniuersalis gubernante Gregorio XV, qui feliciter viuat, & regnet, sedeat Londini Iacobus rex Scotus; & vtinam lineam regiam sanguine sacrato Mariæ Stuartæ matris purpuratā nō inficiat perenni hęresis contagione Iacobus filius: sed cōuersione sua splēdorem auito generi, gaudiū Angelis, & hominibus Christianis pariat. Cathedra isthæc Scotici regni pignus Dunsio viuente in Angliā trāslata est, vnde & eius memoria nō incōmoda est in Dūsij vita

Itaque Ioannes Duns Diuo Francisco nomen dedit in Angliæ prouincia, quàm, heu, nunc, & olim à semetipsa differente. Si enim sacrum præteriti tem- VII.

poris spatium respicias, cultum Dei florentem, sacrarum maiestatem victimarum, obseruantiæ sanctæ rigorem, virtutum opera, optimarum artium studia, libros miracula, profectò cantes.

Iam fides, & pax, & honor, pudorq;
Hor. *Priscus, & neglecta redire virtus*
Epo. *Audet : apparetq; beata pleno*
carm. *copia cornu*

vlt. Ex hac nobili, & celebri prouincia, eruditissimis viris, religiosissimisq; tùm ex omni ordine Christianorum, & regularium, tùm præsertim Franciscanorum affluenti, doctor subtilis emersit. De custodia, & conuentu res non est adeo certa. Ex custodia Londinensi, & ex loco Vvarre, si Bartolomeo Pisano, & Petro Rodulphio credimus, Ioannes Duns apparuit: Nam Thomas Dempster post Gilbertum Brunum Dulcicordij Abbatem Ordinis Cisterciēsis vult eum in loco Dunfrisij Ordini Minorum addictum, nimirum in custodia Nouicastri. Probat hoc traditio in hodiernum diem apud populum illum durans. Quin & multa opera illius in Bibliotheca ibi asseruabantur. Refertur insuper non iucunda incolarum relatio planè rustica; Quod Ioannes rei rusticæ in pueritia addictus fuerit, & licet opulenti hominis filius gregibus custodiēdis præpositus, maximè anseribus. Aduenisse sub autumnum duos Patres Franciscanos, qui victum cœnobio, vt moris erat, quęrerent. Et à Patre Ioannis nostri hospitio susceptos, visum puerum examinare cępisse, deq; fidei mysterijs erudire; qui omniū rerū inscius semel orationem Dominicā, vt audisset, è vestigio repetijt. Quod Patres illi obstupescentes, tantāq; indolis viuacitatem admirantes, negante matre, concedēte Patre, Dunsio Dunfrisium secū adduxerunt, & attonsum S. P. Francisco consecrarunt, quo & in loco professionem emisit. *Ex historia ecclesiast. Scotiæ Gilb. Bruni, cuius rei fides sit penes auctores.*

CA-

CAPVT TERTIVM.

DOctori ſubtili nomen Ioannes fuit, cognomen Duns, agnomen Scotus: & cognomen à loco natiuitatis, agnomen à natione promptum eſt. Et quidē de nomine obſeruo, plures Ioannis Scoti nomenclatura inſignes viros extitiſſe, in quibus error, ne alter pro altero ſupponatur, eſt præcauendus. Sit primùm Sanctus Ioannes Scotus Monachus S. Galli Scoti Apoſtoli Heluetiorum diſcipulus Epiſcopus Conſtantiæ XI. anno 640. *Arnol. VVion. lib. 2. Ligni vitæ cap. 39. Anton. Demochares lib. 2. ſacrific. Miſſ. cap. 35.* VIII.

Secundò S. Ioannes Scotus Canonicus Regularis S. Andreæ in Scotia Epiſcopus an. 1188. *Scotichronic. lib. 6. capit. 39. Bulla PP. Alex. III. Lucij III. Vrbani III. Gregorij VIII. Clementis III. apud Rogerum de Houeden. annal. par. 2.*

Tertiò S. Ioannes Scotus Monachus Epiſcopus Mykelemburgenſis, ſeù Magnopolenſis, ſeù Suerinenſis in Vvandalia anno 1060. *Vuion. lib. 3. Ligni vitæ pag. 366. Alb. Abbas Stadenſis. Albert. Krantz. lib. 4. Metropolis cap. 43, Demochares loc. cit. Thritemius lib. 3. virorum Illuſtrium ord. S. Benedicti cap. 35. Hæc ex eruditiſſ. Dempſter.*

Quarto Ioannes Scotus Monachus Sancti Benedicti omnino diſtinguendus eſt à Ioanne Dunſio Scoto Fratre S. Franciſci; quoniam Volaterranus lib. 21. Antrhopol. mortem illius huic attribuit ferè, dicens Doctorem ſubtilem à diſcipulis fuiſse graphijs occiſum. Theodorus Zuing. hac in re, & errauit, & ſibi contradixit in Theatro hum. vit. tom. 3. pag. 3503. Cū tom. 1. pag. 448. & 560, Secernūtur verò hi duo Scoti cognomine, nā Benedictinus Ærigena, Franciſcanus cognominatur Dunſius. Ærigena ſub anno 883. Dunſius 1308. claruit. Ærigena Oxonienſis Acade-

miæ

mix ab Aelfredo Rege Angliæ, vel instauratæ, vel restauratæ lector primus fuit, Dunsius ibidem legit sub Eduardo I. Angliæ rege teste Volaterrano *lib. 3. Geograph. cap. vlt.* Ærigena græcæperitus latinam fecit B. Dionysij Hierarchiam, ob quam a Nicolao Papa eius nominis primo reprehenditur apud Carolum Cæsarem secūdum Ioannem Pitseum de illustribus Angliæ scriptoribus an. 884. scriptore 133. & Baronium anno 878. num. 62. Dunsius autem ne græcè quidem nouerat. Ærigena in Angliæ conuentu Malmesberiensi discipulorum, quos obiurgauerat seueriùs, gladijs peremptus est: Dunsius in Germania Coloniæ Agrippinæ spontaneo morbo obijt. Ærigenæ libros de mysterio mysteriorum Eucharistia synodus Vercellensis sub Leone IX. damnauit *iuxta Phillip. Bergom. ad ann. 1052. Bellarm. contro. tom. 3. lib. 1. cap. 1. de Euchar.* Dunsij nihil hactenus aut à summis Pontificibus, aut à Concilijs Oecumenicis vel prouincialibus est reiectum *annotante Antonio Posseuino in apparatu sacro de Ioan Duns, & Bartholuccio in Apologia Scoti syllabo præfixa* De Ærigena leguntur *Ioan. Pitseus loco proximè relato. Ioan Leslaus in Donaldo 6. car. 188. fascicul. temp circa* 874. *Thomas Dempster in libro inscripto Asserti Scotiæ cines pag 32. & alij citati lib. 3 nu. 5. & 6. in Apologia Matthæi Veglensis pro Scoto.* His ergo notis Ioannes Dunsius Scotus Doctor Subtilis à cæteris eadem voce indicatis discerni potest.

CAPVT QVARTVM.

IX. QVoto deinceps anno à Seruatoris ortu venerit in communis vitæ auram, vel in Franciscanæ religionis gremium Dunsius noster, ignotum est: probabile vero est eundem anno salutis 1275 vel natum vitæ vel religioni; si etenim triginta quatuor vixit annos, vt versibus tumulo appensis hisce declaratur. *Tem-*

Tempora post Christi propria dulcedine lethum
Venit atrox raptim carcere composito.

Aut si placet cum Andræa Theuet in libro de vitis, & imaginibus virorum illustrium vixit annos tres, quadraginta; iam natus fuisset anno 1266. mundo, qui ex mundo excessit 1308 tumque suscepisse Minorum institutum anno 1275. puerem. Extincto nanque Illustrissimo sapientiæ sole Beato Bonauentura Doctore Seraphico in Concilio generali Lugdunensi, Ecclesiæ claues tenente Gregorio X. ad ann. 1274. Ioannem Duns Doctorem Subtilem vel Christianis, vel Franciscanis donatum anno 1275. sequenti crediderim: Mira Dei prouidentia erga pusillum Francisci gregem, vt vno doctrinæ lumine occidente, alterum Minoribus oriretur. Illud certius elucet. Dunsium ex legitimo thoro natum *in 4.d 25.q.2.* E. Item integra valetudine vsum, præsertim ab epilepsia, quam, cum impropreret Maumeto *in 4.d.45q.2.B.* non est verisimile ipsum fuisse perpessum, vt errantes quidam censent. Primùm quidem catholicus, & apostolicus fide fuit mox religiosus, & Franciscanus euasit; demum sacer, & Sacerdos; sicut author tabellæ de Scoti sepulchro pendentis cecinit.

Huic humilis casto Francisci cordula renes
Strinxit, erat sapiens, presbyter officio

Qua de causa Deo coniunctum assiduè per sanctas meditationes, lectiones, orationes, maximè horas nocturnas, diurnas vè à sacris personis recitandas persoluendo: insuper, & per frequentiam Sacramentorum tùm diligenter se pœnitentia expiando, tum sacrificia conficiendo, offerendo, sumendo, assereré, quemadmodum, & ipse huic studio se deuotum indicat *in 4.d.8.q.1.*

CAPVT QVINTVM.

X. NVnc acta morum, postea doctrinæ opera ac monumenta prosequar. Floruere in animo, & corpore Dunsij plurimæ vel etiam vniuersæ virtutes, tametsi vt in omnibus ferè optimis, ac præstantissimis proceribus, sic & in Dunsio quædam venustius promicauerint. In fide catholica, & Apost. Rom. Io. Scotus tanquam in columna, & firmamento veritatis, immobiliter innixus permansit, si legas eius *q.* 2. *Prologi.* §. *De* 7. *&* 4. *d.* 6. *q.* 1. §. *Ad quæstionem*, & sexcentos suę doctrinæ locos. Ea propter admirandum in modum sategit mysteria diuinitus tradita meditari, vestigare tueri, roborare, illustrare: Quibus ad bilem excitus Io. Balęus apostata schismatis Anglicani sequax, plurima in Doct. Subtilem euomuit maledicta (*Andræas Theuet in Scoti vita, Steph. Broelmen in in suis hist schedijs.*) Magna lux Scoticæ fidei, quæ non modo Christi fideles illustrat, sed & perfidas hæreticorum noctuas veritatis inimicas, æternum eliminat, & absterret. Sed quid vnum hęreticum memoro? Omnes Anglię hæretici in scholasticos omnes, vt in vnum Scotum, in vnum, vt in omnes debacchati sunt. Referam, quę Dominicus Grauina eminētissimi Dominicani ordinis iubar *in Præscriptionibus cathol lib.* 1. *pag.* 168. *colum.* 4. tradit *Eduardus*, inquit, *Angliæ Rex Henrici* 8. *sanguine, & errore hæres collegia, vniuersitatesque Theologicas euertit, & scholasticos incusans, eorum libros vndiq; collectos ex bibliothecis feretro impositos rogo consumpsit, clamantibus adolescentulis, Funus Scoti & Scotistarum.* O rabiem truculentam, in omnes quidem Theologos, sed in Scotum speciatim exertam, ceù inuisum atrocius. Luculenta sanè Scotistis occasio, quò districtis doctrinę subtilissimę pungentissimis mucronibus peruersam hęreticorum trucident malitiā

& fideles splendore illustratos ad perditorum libros, velut zizania in fasciculos colligata, iustiore igne concremandos impellant.

Ignita deinde charitate flagrasse Ioannem Duns agnouit Antonius Posseuinus, & pius, & solers ex Societate Iesu, in apparatu sacro dicens *Certè cum illud D. Aug. de charitate verum sit; ille tenet quicquid latet, & quicquid patet in diuinis sermonibus, qui charitatem seruat in moribus. Haud mirum fuerit, si ingenium Doct. Subt. appellati modestia, & charitate praeditum altissimos sensus eruere potuerit ad veritatem indagandam. Nunquam enim suam sententiam profert in aliorum iniuriam, vel depressionem; quin quorum aut errores conuellit, aut opiniones excutit, tam id modestè, & adeò plerunque supppresso nomine facit, vt Christiano pectore hausisse à Domino sapientiam (certè integram mentem) coniici possit.* Hæc posseuinus candidè, veraciter, accuratè Ex hac etiam charitate illa deuotio fluit, quam Guglielmus Vorilon strenuus scholasticæ Theologiæ miles in 1. d. vltima in gratiarum actione de Scoto profitetur, & longè clarius innotescit ex libro Doct. Subtilis de primo principio, in quo crebris ad Deum veri, ac boni fontem inuocationibus iaculatorijs, amoris æstuantem alto corde flammam, quiuis quantumuis rigens animus experiretur. Rarum, sed certarum (*narrat Philip. de Sosa in Chronicis Min. lib. 3 parte 2. cap. 7. Ioannes à Pola in primum sententiarum, Paulinus Berti. August. in vita Scoti ante quatuor sententiarum libros Venetijs impressa 1617. Gregorius Ruis in Epistola ante commentar, in quatuor sententiarum Scoti. Anton. Cucharus Episc. Acernen. in lucidario Virg. par 2. Christophorus Morenus de puritate Virginis cap. 4. § vltimo*) inæstimabilis amoris Iesu Sacramentum: nempe nocte Christo natali Seruatorem nostrum se specie paruuli, Ioannis Dunsi aspectui, oculis, amplexibus obtulisse, vt quomodo se Christus Deiparæ obtulit XI,

lit attrectandum, sic quoq; addictissimo Dei parentis deuoto sese offerre dignatus fuerit.

XII. Porrò deuotione singulari Dunsij præcordia in Beatam Dei genitricem deflagrasse reuincit quæstio celeberrima de Conceptione Deiparæ intemerata, qua Scotus eam ab omni criminis contagio conatus est ostendere innocentem, impollutam, segregatam à peccatoribus, quippe quæ parens esset illius futura Pontificis, qui, vt Apostolus locuples testis extitit, fuit innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. Quanquam autem Scotus in Theologicam facultatem plurimas inuexerit nouas, vel antiquas innouauerit sententias, ex hac vna innouata de Mariæ immaculato conceptu, tanquam proprio stemmate gloriosius enitescit, & penè omnibus posterorum votis collaudatur. Memorabile & illud Ioan. Dunsio disputaturo Parisijs pro innoxio à noxa originaria conceptu Dei parentis, atq; enixius deprecanti, repetentiq; versiculum *Dignare me, laudare te, virgo sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos*, euenit; Imago nanq. D. Virginis marmorea caput inclinauit, eoque miraculo victoriam benignè pollicita est; diciturque Parisijs eadē imago capite inclinato ad nostra tempora perstare. *Sic Ioannes de Pineda Societ. Iesu in aduertentijs ad priuilegium D. Ioannis Regis Aragonum pro immaculata Conceptione, Gregor. Ruis in vita Scoti ante comment. in 4. Ioannes de Maganellis à Pola in 1. sent. Matriti impressum 1619 Christophorus Morenus de puritate Virg. c. 4. fol. 273. Io. Baptista Lezana Carmelita in Apologet. pro immaculata Conceptione.*

XIII. Hinc apparet Dunsio integerrimam vitam, modestissimos mores, summam fidem, continentiam, pietatem, sapientiam, innocentiam à D. Virgine impetratas. Ne magnitudo reuelationum Doctorem gentium extolleret, Angelum sathanæ colaphizantem per-

perpessus est. Ne magnitudo gratiarum à Christipara concessarum Doctorem Subtilem inflaret, ferum hominem captiuitatis tribulatione mancipantem tolerare compulsus est. Aurum probat fornax, hominem iustos tentatio. Eduardus I. Angliæ Rex à longis tibijs cognominatus LongsKanKs Scotiam atrociter inuasit, omnia sacra, & profana confudit, nulla monumenta priscæ maiestatis reliquit, quin vel raperet, vel demoliretur. Nobilium, atque doctorum virorum quoscunq; potuit, aut crudeli ferro obtruncauit, aut horrore catenarum oppressit. Inter hos duodecim religiosos abduxit, Et ne funestissimæ stragis & acerbissimæ captiuitatis expers esset, duodecimus ex ijs Ioannes Duns Scotus seruitutem miserabilem sustinuit, *prout Iacob. Ballantynus doctor Sorbonicus in supplemento histor. atque Thomas Dempster in opere sup. cit. car, 30. significant.* & ipse Scotus *in 4 d. 36. q. 1.* seruitutem maledictam, & magnæ crudelitatis titulis indicat: Non quia iniustum, quod passus est, conqueratur: sed vt, quod iustum est quæratur.

Hisce Christianarum virtutum quasi stellis rutilatus addidit sacrorum votorum quibus se, suamque XIII. animam, corpus, opes: obedientia, castitate, paupertate Christo perpetim obstrinxit; In quibus plurima facere, paucissima loqui debuit: Ea quippe altissima humilitas est, omnes acquirere nullas in se virtutes agnoscere. Mirandum est, quam parce de se modestissimus vir scripserit, sed quas ille tacuit innocentiæ, ac probitatis laudes, nos ab hoc humili silentio deprehendemus, vt olim Pythagoras *ex Aulo Gellio lib. 1. noct. attic.* à pede non à capite corporis Herculei proceritatem indagauit. Ita sacer sponsus animæ dilectæ non à capite, sed à pedibus mirabilibus mirabilem totius corporis pulchritudinem conclusit, ac decorem. Inchoat si quidem dictione admiratiua laudes. *Quam pulchri sunt gressus tui.* & eadem

dem dictione perficit inferens. *Quam pulchra es, & quàm decora carissima.* Iudex æquior,& castior,quam Psammetichus iudex Memphiticus,qui pulcherrimę Rhodophes venustatem ex vnius calcei ab Aquila delati concinnitate, ac venustate deperijt. *Ælian, de var.hist.lib.*13. *cap.* 33. A summa humilitate feliciter exundat obedientia. Insigne illius specimen ab Adm. R.P.Magistro Iosepho de Tertijs Bergomen. viro integerrimo (quo Doctore logicæ tyrocinium feci) ianquam à maioribus traditum accepi, quod ferè *in 2. senten. d. vlt. q.* 1. Gulielm. Vorilon edisserit. Regens in Parisiorum scholis lectionem Ioan. noster absoluerat, cum ei datæ sunt litteræ à Reuerendiss. Patre Generali mandantes, vt Lutetia proficisceretur Coloniam, ex Regente lector. Continuò iter arripuit, & à discipulis comitibus interrogatus,quonam pergeret, curuè prius fratres in conuentum salutatum non iret. Dignam respondit Doctore Subt. sententiam. *Pater Generalis Coloniam ire iubet, non in conuentum ad salutandos fratres;* Imitatus ea in re B. Ægidium Patriarchæ pauperum Francisci socium tertium.

XIV. Paupertatis præterea insignis cultor fuisse scribitur, habitu vili, pictacijs ornato, nudis pedibus incessisse, vt pauperem Christum pauper sequeretur. Ioannes Maior. 4. *sent. d.* 38. *q.* 11. loquens de Alexandro Alense, Scoto, & Richardo à Media Villa. *Constat,* inquit, *quod in itinere; vbi non habebant cœnobia, amore Dei victum, hospitium; & transitum per Oceanum à Britannia in Gallias, & è contra petebant, in grande meritum sibi, & aliorum ædificationem: Quòd viri summo Pontificatu digni, digito demonstrati ob eminentes suas virtutes, sic eleemosynas non veriti sunt petere.* Castitas quasi proprius thesaurus cælatur, neq; enim in actu externo, sed in actus negatione constat cælibatus: Quamobrem acta Scoti de candidissima hac virtute referri

Chron. Franc. p. 2. li. 3. c. 7.

referri non possunt, tametsi castissimus appareat ex ijs, quæ scripsit *in 4.d.37.B. & d. 42.q.1.N.* Igitur ad summam præclara fuit innocentia, probitate singulari. Innocentia malum propellere, probitate armatus bonum asserere studuit, quibus perfectæ iustitiæ summa concluditur, cælesti Poeta concinente

Diuerte à malo, & fac bonum. Ps. 33.

Innocens Scotus, qui firmissimè sibi persuaserat in 4. *d.*50.*q.*1. & 2. Non creaturam offendi, sed creatorem offendere præ omnibus euitandum fore. Quapropter ad culpæ horrorem teterrimum profligandum omnino nihil esse optandum esse, non ad pœnas sempiternas gehennæ redimendas. Præstantissimum dogma. Charitatis excellentissimæ est, velle potius non esse, quàm offenso Deo superesse. Iustitiæ immaculatissimę, quæ nullum incommodum præponat iniusto, nullum commodum iusto. Hac regula Dunsius potuit, non modò annum, sed annos multos, Dei gratia iuuante, mortalem culpam præuertere, quod *in 3.d.13.q.2.car.91.col.1.* in Scoto non inscitè Petrus Tataret. obseruauit: vt minus mirum sit, eum homines ad mortem pro veritate, & virtute generosè oppetendam cohortatum esse, qui pro eisdem seruandis non mortali dumtaxat corpore, verùm etiam anima immortali, si possibile foret mori, imò, quia possibile erat, in nihilum resolui, paratus esset. Acutè Horatius *carm. lib. 3. ode 3.*

Iustum, ac tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida: neq; auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus:
Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Qui verò tàm acerbus vitiorum osor fuerit, nonne XV.

 ardens

ardens esset probitatis amator ? Ex amore boni mali odium animus spirat. Attulit vir præstantissimus probitate, maximisque rebus gestis rudibus doctrinam, sapientibus incrementum, fidelibus exemplũ, cleris normam, religiosis lucem, cœlis gloriam, Deo honorem sempiternum. Cæterum de Scoti virtute dispersa dicta in vnum quasi sertum coruscantibus gemmis contextum, coercui, dum Apologiæ *librum 2. num. 41. scriberem*, quæ hunc in locum transferre perplacuit. Laudat Antonius Posseuinus in Scoto eximiam modestiam, charitatem, animi integritaté. Guglielmus Eysengreuius fidei catholicæ professionem, excitationem in diuina lege. Abbas Trithemius studiosam cęlestium scripturarum eruditionem. Petrus Tataretus contẽptum vitæ pro iustitia, & æquitate extollit; paupertatis opulentiam euangelicę, Chronicum Franciscanum: Obedientię magnam propensionem, Guglielmus Vorilon: Pisanus educationem in diuino cultu, & religiosis sanctionibus: Cœlibatus puritatem, Epigrammatarius penes Tossianum. Deniq; Gonsaluus conscripsit Ioannem Scotum vita laudabilem; Philippus à Sosa morte venerabilem; Antonius Andręas memoria benedictum. Omnes agnoscunt eius in Deiparam pietatem. In Christum, & hunc crucifixum, affectum ipse Doctor Subtilis ostendit *in 1.d.16.q.1.* Postremò canam cum epigraphæ antiquiore.

Dux fuit hic cleri, claustri lux, & tuba veri.

XVI. Actis ergo virtutum gloriosè perfunctus Doctor Subtilis piè viuens pietatis præclarissimum Patris Generalis à Beato Francisco in Minorum religione 15. promeritus est testimonium in epistola, quam infra subtexam, sed nunc fragmentum appono. *Dilectum in Christo Patrem Ioannem Scotum. de cuius vita laudabili, scientia excellenti, ingenioq; subtilissimo, alijsq; conditionibus suis partim experientia longa, partim famæ,*

quæ vbiq; diuulgata est informatus sum. Quam autem cœpit viam, eandem persecutus est ad metam vsque (sic pie censeo) donec perseueranti fideliter vsque ad mortem redderet Christus coronam vitæ. Adiiciam huius rei testimonium ex Ludouico de Manganellis à Pola in vita Dunsij, quem authorem, vt in historiæ iudicio non omnino probo, ita in hoc dicto aliena fide probato non improbo. Sic ille. *Non desunt homines quamplurimi, qui eum sanctum vocent ex eo quòd sacra, & sancta volumina scripsit. Angelus etiam sic testatus est nobis in Apoc. Beati Amadei patris eiusdem ord. quando erudiens ipsum Amadeum de sacramento altaris, monuit, vt in eius difficultatibus cum Scoti doctrina consuleret dicens: sentias de ipso secundum modum, quem scripsit vnus Doctor ordinis tui, qui est plenus sanctitate, quia primus gladium suum exemit pro Conceptione Immaculata Virg. Mariæ, & Reginæ nostræ. Et ostendebat Angelus Ioannem Scotum nuncupatum. In ipsa etiam Apocal. de eiusdem etiam sacramenti difficultatibus loquens idem Angelus, ostendit Scotum cum diademate beatorum in capite & aureola doctorum* (hoc vidi in auth. raptu 6.) *Ibi etiam idem Angelus loquens de Scoto, dicit, Amicus noster*, & infra: *De ipsomet dicit, Quem Regina nostar multum diligit, quia eam publicè defensauit.* Hæc ille. *Dempst. in Monolog. Scot. 4. No.*

CAPVT SEXTVM.

Sequitur de admirandis eiusdem in scientijs profectibus dicere. Omnes, quotquot attingunt studia Dunsiana, scriptores illum in Oxoniensi Angliæ Academia celeberrima studijs operam nauasse afferunt, quibus addo, & in Academia Parisiensi. Præceptorem Dunsij Alexandrum Alensem fuisse arbitrati sunt Abbas Trithemius, Sixtus Senensis, & Petrus Cratepolius magnæ lectionis, parui iudicij hi- XVII.

ſtoricus. Ludouicus de Manganellis è contra dicit Alexandrum Alenſem Ioannis Duns diſcipulum. Sed obierat Alexander Lutetiæ anno ab incarnatione 1245. vt ferè ſatis probaui *lib. 2. Apologia nu.* 20. 21. 22. Et 23. explicui inſtitutorem Dunſij noſtri vel Ioannem, vel Gulielmum Varronem vocitatum fuiſſe. Atqui vero ſimilius eſt Vvillelmum de Vvarra fuiſſe dictum prout in 5. *Met. q.* 1. Scotus ipſe nominat. *Sicut*, inquit, *recitat frater Vvil. de Vvarra in 2. par. ſcripti*, & infra. *Quod frater Vvil. de Vvarra in quæſtione, qua quærit, vtrum ſpiritualia habeant menſuram propriam.* In quem locum Mauritius Hibernicus obſeruat, Doctorem Doctoris Subtilis eſſe citatum. Fuit verò Vvillelmus de Vuarra præſtantiſſimi vir ingenij, doctrina ſolidiſſima fultus, primùm Oxonij, mox Lutetiæ publicus Theologię profeſſor, Doctor *Fundatus* nuncupatus. Eius libros in Theologicas ſententias Chamberij in Sabaudia manu ſcriptos in Bibliotheca Franciſcana, lectos pro ingenioli imbecillitate eruditiſſimos iudicaui. Ioannes Pitſeus de Illuſtribus Angliæ ſcriptoribus ad an. 1270. ſcriptore 384. eius meminit, nec dicit epiſcopatum, cũ tamen in indice Doctorum ex ordine Franciſcano Epiſcopum eum dicat. Id quod neminem tradidiſſe comperi.

XVIII. Poſtquam ergo Ioannes noſter Oxonij pretioſiſſima doctrinæ naturalis, & ſupernaturalis lucra fecit, Pariſijs rurſus operam ſtudijs dicauit, atque ibi iuxta ſtudentium, qui licentiari velint conſuetudinem, magiſtrum ſententiarum legit. Quoniam autem nec olim, nec modo licuit Franciſcanis dignitates capeſſere abſque ſupremi ſuperioris facultate: Reuerendiſs. Pater Generalis conſaluus epiſtolam huius facultatis ad Guardianum Pariſienſem dedit, quam eandem originariam legit Petrus Rodulph. Toſſinian. Epiſcopus Senogalliæ in hæc verba

In

In Christo sibi carissimis Patribus Guglielmo Guardiano. Parisiis, vel eius Vicario & Magistris.

Frater Gonsalnus Gaudens in Domino.

Ad expeditionem dilecti in Christo Patris Ægidij de Legnaco, de quo per litteras vestras certificatus existo, cum de alio (vt moris est) eodem calculo prouidere oporteat. Et cum secundum statuta Ordinis, & secundum statuta vestri Conuentus Baccalaureus huiusmodi præsentandus ad præsens debeat esse de aliqua Prouincia aliarum à Prouincia Franciæ: Dilectum in Christo Patrem Ioannem Scotũ, de cuius vita laudabili, scientia excellenti, ingenioq; subtilissimo, alijsq; conditionibus suis, partim experientia longa, partim fama, quæ vbiq; diuulgata est, informatus sum ad plenum, dilectioni vestræ assigno post dictum Pat. Ægidigium principaliter, & ordinariè præsentandum. Iniungo nihilominus vobis ad meritũ salutaris obedientiæ, quatenus præsentationem huiusmodi cum solemnitate solita sine multo impendio facere debeatis. Si tamen constiterit vobis, quòd Dominus Cancellarius velit duos simul licentiare de nostris, volo & placet mihi, quòd Frater Albertus Metensis, si ad Conuentũ redire poterit, cum præfato Ioanne debeat expediri. In quo casu mando, & ordino, quòd dictus Fr. Albertus antiquitatis merito prius incipere debeat, dicto Fr. Ioanne sub eo postmodum incepturo. Valete in Domino, & orate pro me. Datum in loco Æsculi Marchiæ Anconitanæ 14. Kal. Decemb. ann. 1304.

Iuxta has literas credendum est Ioannem Duns 1305. à Guardiano Parisiensi Vniuersitati oblatum, vt periculum fieret, an posset ad quamlibet quæstionem de qualibet re proposita respondere pro Doctoratu adipiscendo iuxta consuetudinem inolitam studij Sorbonici, quam in Scoti quolibet. 1. Hieronymus Gadius Bonon. Scotista non postremus refert. Ex ea consuetudine post lauream acceptam ortæ sunt plæclarissimę Parisiensium Doctorum quæstiones quas *Quodlibeta* appellant, quales D. Thomas,

Henricus, Ægidius, Aureolus, alijque plures conſcripſere, nam quæ in examine publico ventilatæ fuerant quæſtiones, domi fuſius, atq; robuſtius declaratæ, ſcriptis mandari cõſueuerant. Hinc & Scotus, quaſi felix arbor, geniali ſidere fœcundatus florem doctrinæ ſubtilis *i. Quodlibeta*, ordine, profunditate, copia vernantem excluſit.

XIX. Lectoris idem officium geſſit primùm Oxonij, ſecundo Pariſijs, tertio Coloniæ. Tametſi ratione temporum emenſa cum Paulino Berti Auguſtin. aſſerere oporteat, Dunſium antea publicum lectorẽ Oxonij fuiſſe in Anglia, q̃ Luteteę in Gallia diſcipulus eſſet, quod videtur diſſonũ. Scribunt aũt, euocato ex Academia Oxonieñſi Vvillelmo Vvarrone in Pariſienſem ad cathedram Theologalem regendam, in præceptoris locum Ioannem Duns Oxoniæ ſuffectum. Oxonij verò legiſſe tradunt Toſſinian. *lib. 3. in Ioan. Scotũ*, *Piſan. conform. car.* 71, *vel* 97, Antonius Poſſeuinus in Apparatu, & alij paſſim; vnde vniuerſitas illa tùm Vvillelmo Vvarrone, tum Ioanne Scoto illuſtris anno 1309. ſcribitur habuiſſe tria ſtudentium millia *à Iacobo Middendorp in lib. Academ. orbis Chriſtiani.* Imò verò *ex Io. Pitſeo tom.* 1. *pag.* 32. anno 1300. ſub Eduardo rege I. triginta millia. Hinc admirabilis illa diſcipulorum affluentia ex omni penè mũdi angulo ad Subtilium Principem audiendum celebrant de Dunſio penè ſcriptores omnes. Deinde in capitulo Generali Minorum Tholoſæ celebrato ſub an. 1307. (*Ioañ. Pitſ. Toſſinian.*) Regens Pariſijs deſignatus Theologiã explicuit: ſed non ita multò poſt, imò eodem anno Coloniam Vbiorum ad ripam Rheni celeberrimam vrbem Lector Theologiæ deſtinatus eſt. Huius rei cauſam infra ſubijciam. Conſtantia igitur Scotica in diſcendo, docendo, prædicando, diſputando, ſcribendo, multò maxima fuit. Natis, ac naſcituris, quã ſine fictione didicit ſapientiam, ſine inuidia cõmunicauit:

cauit: Sapientibus, & insipientibus debitor, libens ingeniosos docere, at etiam rudes erudire non detrectauit. Lucidum charitatis, atque dignationis documentum profert Gulielmus Vorilon. *1.d.38.* Doctor Subtilis per Britanniam iter agens seminanti cuidam occurrit, & Christiana pietate monita salutis inserere studuit; Tùm rusticus: Cur mones? si Deus pręsciuit me saluandum, siue benè, siue malè fecero, saluabor. Si verò damnandum, damnabor. Excepit subtiliter subtilis: Si diuina scientia, vt arbitraris, hanc rebus necessitatem infigit, ne semines; si nanq; Deus prœuidit nasciturum fore triticum, siue semines, siue non semines, nascetur. Si non nasciturum, non nascetur. Arenæ itaque semina mandas. Illum obmutescentem subinde pius Doctor instruxit.

Veruntamen quia de tanti viri doctrina scribo, primùm scientias, quarum iudicium reliquit, percurram: posterius iudicij Scotici considerationem habiturus. Ioannis Scoti peritia in plurimis scientijs cōperta, in Philosophia Peripatetica est singularis atq; ad Philosophos Aristotelicos contra fidem se se armantes retundendos efficacissima. Vt cū multi Theologorum aduersus hæreticos polleant. Scotus aduersus Philosophos prælium princeps ducat. Studijs humanitatis non admodum cultus iniuria temporum potius, quàm ingenij; musis verò suauioribus haud prono genio, composuit carmina quædam *in 4.d.42.* sed Carica, vt aiunt. Musa; nec Themistocles notam effugit indoctioris, qui lyram, nec Scotus effugeret, qui citharam moderari non sciret, prout in *3.d.33.* *q.1.M.* ipse testatur. Hæc exhilarando lectori sint dicta. Logica tàm acutè vsus est, vt nil vltra fieri posse videatur. Quapropter à non percipientibus eius acrimoniam (quod imperitorum est proprium) sophista captiosus arguitur. Physicam calluit, vt quàm maximè, & eam frequentissimè accersit ad res Theo- XX.

logicas enucleandas, prout in 2. sententiarum de motu, loco, æuo Angelorum de materia prima, cęlo, elementis: & in 4. de actione, transmutatione, rarefactione, de causis generantibus substantiam: & alijs pluribus in locis videre est. Mathematica possedit egregiè, Geometrices peritiam *in 2.d.2.q.9.* tam luculenter demonstrat, vt ad Scotum intelligendum nemo nisi peritus Geometer sufficiat; Astrorum peritiam ostendit *in 2.d.14.q.2. & in 4.d.43.q.3.* Optices callentissimus discernitur *in 2.d.13.q.1. & 4.d.10.q.9.* Iuris ciuilis rara in eius operibus dicta, canonici verò apprimè multa; *vt in 4.d.6.q.3.* acutè refellit glossatorem, *& eadem d.q.8.d.7 q.vltima tota, d.13. q.2.d. 25.q.1.* atq; sæpè alias sacrorum canonum farragines citat. Metaphysicen perfectissime tenuit, ideò vt quidam ausi fuerint, Ioannē Scotū in Metaphisicis Aristoteli Stagiritæ præponere. Ego cuique suum relinquo iudicium. Illud constat absq; controuersia Dunsium in scientia transnaturali versatissimum extitisse. Theologiæ præstantiam in Subtilis operibus collucentem non ostendam, cum ipsa per se clarissimè fulgeat: nam duæ vel maximæ audiūtur scholasticæ Academiæ, Angelica, & Subtilis, quarum crebro cōgressu disputantiū non minus lætificatur S.R. Ecclesia in tēplorum amphitheatro, ac olim S.P.Q.R. crudeli spectaculo gladiatorum vulnere, ac morte ruentium delectaretur. Nec scholasticæ principatū dumtaxat obtinuit, sed & sacrarum eruditione scripturarum gloriosus nitet Ioannes Duns. Scripsit enim Comment. in 4. Euangelistas, in D. Pauli epistolas, in Genesim ad litteram, postillas in scripturam ordinauit, quod suo loco probabo. Sed vt incredibilem ponderandæ legis diuinæ vigilantiam in doctissimo scriba nostro Scotistis indigitem, legant in *Quodlib.* 8. expositam illam seruatoris sententiam Ioan. 5. *Quæcunq; ille* (s. Pater) *fecerit, hæc & filius similiter facit.*

Non

Nō Scotistæ non penetrabunt:Scotistas vero ad gemitū prouocandos noui, dum tam pretioso Ioan. Scoti in Ioan. Euangel. thesauro se fraudatos agnouerint.

Tandem ad iudicium Scoti trāsgredior. Fuit ingenio perspicacissimus, & in rerū abditarum perscrutatione patientissimus, non contentus exteriore quadam superficie doctrinæ, sed ad veritatum profunditatem aspirans, sicut disceptationum eiusdem prolixitas, opinionum expensarum varietas, & argumētorum congestorum pluralitas commonstrant. Duabus in rebus excelluit; prima quidem, in famosis propositionibus valdè accuratis, & vniuersalibus eruēdis, ad quas tanquam ad principia resoluit subtilissimè theoremata quæque; vnde fit, vt illis, ceu firmissimis munimentis, Scotistæ tum arguendo, tum rñdendo euadant robustissimi. Secunda, in rerum proprijs rationibus, vel essentijs, siue, vt Scotistæ loquuntur quidditatibus, & rationibus formalibus indagandis est incomparabilis; cum enim à rerum essentijs accidentia siue communia, siue propria ea sint, pendere noscantur, præcipuus Doctorum scopus in entium, quod quid est noscendo consistit. Accedit natiua quædā Scoticæ subtilitatis longanimitas, quā & in propositionibus, & speculationibus constantem discernis; ob idque requirit lectorem valdè attentum, & laboriosum, alioqui fructu vacuum dimittit. XXI.

Ob eam docendi, ac disputādi rationem Doctoris Subtilis titulum assecutus est ab vniuersitate Parisiēsi. Quanquam potissimum obtinuerit præclarum epithetum propter subtilitatem ostensam probando, vel defendendo B. Virginem ab originalis sordis impuritate puram. Dicam cum Pelbarto in Stellario *lib. 4 part. 2. articul. 3.* & Ludouico de Pola in vita Scoti. *Ioannes Scotus, qui Parisiis proposita quæstione omnibus Doctoribus conclusit, & omnia eorum argumenta contraria, cum essent plusquam ducenta memoria mirabili* XXII.

reci-

recitauit, & soluit; & innumerabiles superaddidit rationes probantes, quod Virgo est concepta sine originali, vnde vniuersitas admirando, ipsum Doctorem Subtilem appellauit. Astipulatur Bernardinus de Bustis in officio Conceptionis, & epitaphiũ sepulchro appẽsũ canit.

Concepta est Virgo primi sine labe parentis
Hic tulit; Hic haresi pralia dura dedit.
Inde genus meriti tantum sibi Papa refundens
Doctor Subtilis dicitur, inde dedit.

Nescio an Papæ nomine Patrẽ patrũ, hoc est, Romanũ Pontificem intelligat, nã quo æuo Scotus Parisijs floruit, Clemens V. Roma transtulit Aucnionẽ in Gallias curiã; vnde in Gallijs existens, & de Conceptionis puritate disputationẽ indicens (*ex Bernardino de Bustis*) Subtilis encomiũ potuit elargiri; an potius Papę nominè Parisiensem Episcopũ significet, quũ antiquitus oẽs Episcopi vitæ splendore pollentes Papæ sint vocati: sic B. Hieron. in Epistolis ad Augustinum scribit, *Domino verè sancto beatissimo Papa Augustino*: & Augustinus ad Paulinum inquit, *libros beatissimi Papa Aurelij Episcopi*. Nũc vero solus Romanus Pontifex *Papa*, tanquam Pater patrum, & Pastor pastorum (Nicęna synodo titulum appropriante) nuncupatur. Quod adnotauit in libello de potestate Summi Pontificis Thomas Illyricus Minorita. Quæ deinde Ioanni nostro miracula cum Dominicano disputanti accidisse narrantur, vt quòd cęlestis vox Dunsium à strophiolo præcauere monuerit, Dęmoniacum deprehenderit, dęmon fugatus conuentus partem diruerit Lutetiæ, cum certa ratione probare, aut reprobare non possim, in ancipiti sunto: tantum obseruo, hæc licet vera essent, nullam prædicatoriæ familiæ vnius delictum notam irrogare, cum nec Apostolicum collegium sine Iuda extiterit. Copiosissima Prædicatorum multitudo in magisterio, ac tribunali fidei, in sanctitate, ac miraculis, in sapien-

tia, & litteris, in prælatione, & gubernationibus, atq; in alijs plurimis diuinæ gratiæ fulgoribus corruſcans, omnes vnius tenebras, quemadmodum ſolis ſplendor ſupremus maculas in corpore ſuo nuper detectas, inuiſibiles efficit. Redeo ad Scotum.

XXIII. Elucubrationum ſuarum ſtudium fuit eximiũ ſacrarum ſcripturarũ arcana eruere, ſanctorũ Patrum monimenta voluere, verbũ Dei ſedulo euangelizare, rationes veritatibus catholicis intelligendis perſcrutari dogmata ſcholaſticorum, quæ minusuera cenſuerat, ad filũ redigere: præſertim vero Henrici Gãdauenſis Doctoris Solemnis. Huius eſt Scotus Antagoniſta ſecundum Ioan. Rioch. in compendio temporum *lib.4.c.80.* quãuis Iacobus Gordonus Thomæ Antagoniſtã credat; oppugnauit Scotus Thomã mitius, ac rarius, at quia Thomas, & Scotus habuere ſectatores, ideò cõtrouerſię cũ Thoma notę, cũ Hẽrico, licet acriores, & frequẽtiores, ignotę. Qui vero opinantur libros Raimũdi Lulli à Ioan. Scoto reiectos, legant prius Illuſtriſs. Bellarm. in *lib. de ſcript eccleſiaſt.* voce, *Raimundus* inuenientq; auctoritate Apoſtolica, Raimundũ poſſe defendi; poſt hac teſtimoniũ grauiſſimum audiant à Perilluſtri Equite, Dom. Scipione Claramontio Ceſenate viro doctrinæ cyclopædia clariſſimo, morum grauitate, ſplendore magiſtratuũ, atq; libris editis, & ſapientiæ fama notiſsimo. Is ad me ſcripſit: ſe Pariſijs *Artem paruam* Raimundi Lulli à pluribus Pariſienſibus Doctoribus approbatam vidiſſe, inter quos ſubſcriptus eſt manu propria, Ioannes Duns Scotus. Verum vti Dunſio aliorum ſententiæ ſæpius reiectæ, ſic & ſuæ alijs: habuit impugnatores Aureolum, Durandum, Bacconum, & quotquot vel Thomiſtarum, vel Nominalium ſectæ nomina dederunt, ſed præ omnibus ferocem Antagoniſtam Gulielmum Okam ſuſtinuit. Quin & ſequacibus ſuis non ſemper placuit. Gulielmus Vorilon *in*

4.*d.* 26. *q.* 1. tria Scoti dogmata deserit, nimirum de loco Paradisi terrestris, de furis simplicis nece, de sui ipsius venditione. Gadius in *Quodlib car.* 31. *col.* 3. *& car.* 42. *col.* 1. bis concedit Scotum dormitasse. Loquar audacius, quòd *in* 4. *d* 16 *q.*1 scripserit contritionem, confessionem, satisfactionem nullo modo esse partes sacramenti pœnitentiæ *in* 3.*d.*30. *q.*1. non apparere ex auctoritate, vel ratione, cum possimus, teneri nos ad vitam proximi extrema in necessitate constituti tuendam non assentior. Et qui Beatam Virginem ab omni peccato immunem piè defendi, à Scoto sentio, non sic sentio defendi, potuisse Deum hominem de potentia absoluta peccare: facilius etenim Virginem Deiparam peccato subiectam, quàm Christum peccato subijci potuisse crediderim, vt vel propter hanc causam è Scoti schola recesserim.

Nullius addictus iurare in verba Magistri.

CAPVT SEPTIMVM.

XXIV. POstremò Lutetia Coloniam Ioannem Duns transmissum noui, causam non noui; cur enim tantus Doctor ex Parisiensi Vniuersitate vniuersitatum matre ad Vbios destinari crederem, apud quos vniuersitas non esset, & loci, & officij dignitate imminutum, nisi ob iustissimam, & grauissimam causam, Tossinian. asserit eum vniuersitatis Coloniensis prima fundamenta iecisse, illiusque rei gratia eò fuisse amandatum. Qua in re humanum quippiam passus est, nam vniuersitas Coloniensis anno 1388. hoc est, 80. à Scoti obitu legatis ex Mendicantum ordinibus ab Agrippinatū Senatu ad Vrbanū VI. destinatis impetrata est *ex Ioanne Pitseo in vita Ioan. Duns, & Iacobo Middendorp. de Academia Colonien. qui & diploma Pontificium citat.* Non ergo studium publicum, sed

neq;

neq; priuatum apud Franciſcanos Colonienſes inſtituit: ſiquidem in ea tabula, qua notantur fratres Coloniæ defuncti, plures lectores Colonienſes mortui ante Doctorem Subtilem deſignantur. Aliquos commemoro.

Frater Andreas quondam Lector Coloniæ.

Fr Albertus de Mediolano quondam Lect. Coloniæ.

Fr. Hymicus Vol quondam Lector Coloniæ.

Fr Gerardus de . . quondam Lector.

Reuer P. Fr. Vvillelmus . . Lect. Colon qui obijt anno Domini 1305. In eadem tab[illegible] poſt trigeſimum quintum. *Reuer. P. F. Ioannes Scotus Sacræ Theologiæ Profeſſor, Doctor Subtilis nominatus, quondam lector Coloniæ, qui obijt anno* 1308. 6. *Idus Nouembris.* Non igitur qui Academiam, vel Conuentualem, vel ciuilem erexit Coloniæ Adm. Reu. P. M. Petrus Paulus de Nouaria Inſubriæ, vir eruditiſsimus, & in Gymnaſijs noſtri ſodalitij celeberrimis præclarè admodum Regentis munere functus, talẽ ſe in manu ſcriptis quibuſdam antiquioribus cauſam legiſſe teſtatur. Legebant in Conuentu Pariſienſi Franciſcano Regens primus, Reginaldus Prouincialis ſeu titulo, ſeu rè ſuper prouincia Prouintiæ: Regens ſecundus, Ioannes Duus. Cum iunior ſchola præclariſsimis, ac frequentiſsimis, qui eius doctrinam exoſcularentur viris, referta, in Sorbonæ cathedram conſcendiſſet (in qua *Reportata* pro illorum temporum conſuetudine dicitur compoſuiſſe) ſenior notam non tulit. Sed præclaram nactus occaſionem, quod Scabini Colonienſes talem Coloniæ in Germania, qualis Lutetiæ in Gallia erat, Academiam erigere optarent. A Patre Generali Ioannem Scotum tanto operi præficiendũ curauit. Receptas pro voto litteras Prouincialis impatiens ad Scotum, qui tũ remittendi animi gratia extra Pariſios cum diſcipulis, alijſque honeſtiſsimis viris eſſet, tranſmiſit. Doctor Subtilis litteras

omni

omni cum reuerentia excepit, & ne Lutetiam quidem ingressus dixit. *Eamus, quò nos vocat obedientia.* Ac statim Coloniam concessit. Id ergo, siue quod mihi probabilius apparet exponam, lectoribus iudicium relicturus.

XXV. Euomuit infernus insolentem quandam hæreticorum turbam circa Vbios, qui Begardi, atque Begardæ appellabantur, se tamen ipsi Apostolos, superbiæ vento distenti nominabant: & effronti fronte à fidei catholicæ linea exilientes aduersus fidei catholicæ satores insurgebant, præsertim aduersus fratres Prædicatores, & Minores eo vsque, vt ijs conciones habentibus hæretici publicè obsisterent, ac petulanti disputatione congredi auderent. Erant Coloniæ plures ex Dominicana familia alumni Alberti Magni an. 1281. inde in cœlum assumpti. Minoritæ Lectore eorum defuncto anno 1305. hac de re Generalem Gonsaluum, vel soli, vel etiam cum Archiepiscopo Colon. fecere certiorem; Generalis pro zelo christianæ fidei, & Religionis Franciscanæ feruentissimus, illuc Ioannem Scotum nunquam disputando victum ad truces hæreticos reuincendos, ac radicitùs euellendos direxit: nam etsi Begardi: atque Beguinæ in Italia, Prouintia, & Alemania ebullierint, in Alemania tamen, quò Scotus missus est, originem habuere *teste Aluaro Pelagio lib. 2. de planctu Eccles. cap.* 51. Ex codice statutorum Coloniensium impresso Coloniæ *apud Ioãnem Quentel an.* 1554 *car.* 58. ita conijcio: nam in eo libro ad annũ 1306 editum est ab Hẽrico Archiepiscopo Colon. decretum contra Begardos, & Begardas, in cuius decreti cap. 2. sic legi. *Et quod amaricata mente ferimus, eorum aliqui laici, ac litteras nescientes Prædicatoribus, & Minoribus in sermonibus eorum, & prædicationibus publicis (quibus in agro Theologicæ sapientiæ continuè laborantibus prædicationis Verbum per sacrosanctam Ecclesiam est commissum,*

sum, & ministeriorum Dei, & fidei secreta lucescunt) non sine vehementi suspicione prauitatis hæretica publicè restiterunt in fidelium iniuriam. & sanctæ Ecclesiæ; errorem, & cæcitatis caliginem in veritatis lucem spargentes, temerè insultarunt, Hæc è statutis Henrici Archiepisc. Colon. feria 2. post Dominicam *Inuocauit* an. 1306. Quare anno 1307. in Congregatione Generali Tholosæ coacta factus est Ioannes Duns Regens Parisijs quidem, sed nuncio fortasse post id temporis ad Generalem perueniente, vt simul studio Coloniensi lectorem insignem præficeret, qui Albertistis corresponderet, & quod caput est, hæreticorum effrænatos rabie dentes potenter contereret, Doctorem Subtilem misit. Hoc Balæus schismaticus oboluisse videtur, quando Ioannem Scotum tanquam Papicolarum Herculem, vt ibidem de vmbra Assini dissertaret, processisse, Coloniam asseuerauit.

Porrò *Colonia Agrippina* (filij eius Iacobi Middendorpij hæ laudes, veræ tamen) *Vbiorum totius inferioris Germaniæ Metropolis Vrbs amplissima, pulcherrima, potentissimaq; atq; optimè morata est, quæ cæteras Germaniæ Ciuitates nobilitate, sapientia, opibus, magnitudine, & quæ clarissimæ matri ipsius Romæ imperium totius orbis pepererunt virtutibus, & concordia, veraq; Religione superat, vt meritò de ea omnium consensu vulgo dicatur.* XXVI.

Gaude felix Agrippina, sanctaq; Colonia
Sanctitatis tuæ bina gerens testimonia:
Postquam fidem Christi suscepisti; Ciuitas prænobilis,
Recidiua non fuisti, sed in fide stabilis.

Quanquam enim vndiq; per Germaniam Lutherana hęresi populante, nutare Colonia tantisper sit visa, stetit tamen inconcussa vi prępotentis Dei, qui potęst eum, qui stat, statuere, vt perseueranter stet, & eum qui cadit restituere. Coloniam venienti Doctori Subtili occurrerunt primores & cleri, & senatus officij gratia, *vt aiunt Petrus Tossin. Paulin. Bert.*

Gulielm.

Gulielm. Vorilon, Ioannes Pits. ac Henricus Vvillot; q̃ magis indicat eundem & expectatum, & expetitum fuisse ob dictam causam. Legit ex Middendorpio in Cœnobio Minorum frequenti schola, disputauit sæpius cum oppugnatoribus immaculatæ Conceptionis, quod plures referunt; verùm & cum hęreticis atrociter profligatis, sicut innuit tabella inferius relata.

Concepta est Virgo primi sine labe parentis,
Hic tulit. hic hæresi prælia dura dedit.

Nam sic inueni fide oculari scriptum in tabella, non vt refert Tefsin. & ab eo Vvillot.

Hoc tulit, hoc dicto prælia dura dedit.

XXVII. Nec si carmen claudicat, fides referentis claudicare debet in carminis relatione.

Plurimis ergo sacrarum actionum; concionum, disceptationum, & scriptionum ad fidem illustrandam, mores corrigendos, religionem amplificandã, posteros instruendos meritis, & virtutibus plenus, consummatus in breui, expleuit tempora multa, donec ei pro temporarijs laboribus Deus æternam requiem offerre, ac è terris raptum in cælum euehere dignatus est. Itaque anno à Christi natalibus 1308. die octaua Nouembris, quæ est octaua omnium Sanctorum, ad sanctorum omnium communionem euocatus est Ioannes Dunsius: ita quidem vt eodem die publicè disputarit, & siue in eadem disputatione, siue paulò post domum reuersus, forsan propter profundam in disceptando cogitationem, & ardentem pro veritatis zelo laborem, repentino morbo è viuis excesserit. Hanc disputationem Poeta de sepulchro pendens indicat.

Doctor Subtilis soluens sua lustra Ioannes
Scotus in obiectis vltima verba dedit.

Et alius antiquior.

Straminis in vico placidi certaminis ordo

Cespitat

Cespitat, heu belli desinit esse caput.

Summum Christi locum in Ecclesia militanti tenebat Clemens Quintus: imperium vacabat, nam eodem anno prima die Maij Albertus Imperator à Ioanne nepote ad Rhenum occisus est non longè à Schafhusen, & Remle Henricus Lutzemburg. electus fuit; Francfordi die 27. Nouembr. publicè acclamatus Imperator. *Chron. Hirsaug.* 1308. Scotiæ solium occupabat Rubertus Bruseus Scotorum Rex 97. Nec ob improuisam hanc mortem Dunsium perijsse arbitrer: cum vir sanctus olim subito fato abreptus quibusdam id egrè ferentibus (mirum dictu) digito illud indicaret. *Iustus quacunque morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit*; scribunt Pelbart *in serm. æstiuis Dom. 24. post Pent. serm. 3 F. Ex Roberto in sapientiâ. Thomas Vandinus in serm. funebribus serm. 17. nu. 4. Anton. Archiep. Flor. in sum. mai. par. 1 tit. 5. cap. 1. §. 5.* quinimò Ioãnem Duns breuiore cruciatu ad æternas delicias deductum in matris misericordiæ, & matris gratiæ vlnis, cuius deuotissimus extiterat, anima exhalata putauerim. Mortuum repéte fuisse indicat Epigrammatarius ad sepulchrum sæpè relatus.

Tempora post Christi propria dulcedine lethum
Venit atrox raptim carcere composito.

Apoplexi, vt arbitror, ob calorem disputationis ingruente, gloriosius pro cælesti patria ex certamine spirituali vitam profudit, quàm qui pro terrena ex corporali pugna moriuntur: O fortunata mors, quæ peccato debita, est gratiæ reddita: nec tàm iniuriæ Adami compensandæ, quàm gloriæ Christi comparandæ oblata. Neque, quia propera, est formidabilis: nisi citò cruciatus euadere, aut immensam consequi voluptatem, formidandum esse videatur.

CAPVT OCTAVVM.

Moeror fratrum, & luctus discipulorum, quibus fidei atletha, norma veritatis, Theologiæ XXVIII.

fons, Religionis decus, ſpeculum probitatis ereptũ, à quo ſatis deſcribi poterit? Iuſta defuncto exhiberi ſolita non omiſſa, nec debita doctoribus Pariſienſibus ſolemnitas. Celebratis officijs,quæ de religionis, & Catholicæ, & Minoricæ more peraguntur, die 9. Nouembris, terræ corpus Dunſianum eſt redditum. Nullam Coloniæ habuere, vel habent vacuã tumbam fratribus omnibus præparatam, qui pauperum more ſub terra defodiuntur: neq; peculiare ſepulchrum Scoto breui tempore poterat ædificari: ideo & ipſe terra contectus, ſuperiore Conuentus operta cadaueris facie, data corpori benedictione, ter ligone humum iniecit: veſpillones humo foueam repleuerunt in Eccleſia Sancti Franciſci Minorum Conuentualium Coloniæ, ad dexteram, ante introitum ſacriſtiæ, propè altare trium Regum *ex Chron. Hirſaug ann.* 1308. Lapis poſtea ſuperpoſitus cum antiquiore epitaphio *in bibliotheca Colonienſi Franciſcana ad dexteram ingredientis inter litteras. G. & H. in 3. pluteo manu ſcripti codicis beneficio à me inuento*, quod tale eſt.

Epitaphium Scoti.

Clauditur hic riuus, fons Eccleſiæ, via, viuus,
Doctor iuſtitiæ, ſtudij flos, arca ſophiæ.
Ingenio ſcandens ſcripturæ abdita pandens:
In teneris annis fuit, ergo memento Ioannis:
Hunc Duns ornatum fac cælitus eſſe beatum.
Pro Patre tranſlato modulemur pectore grato.
Dux fuit hic cleri, clauſtri lux, & tuba veri.

Illic Doctor Subtilis diu in pace,& benedictione quieuit. Id Antonius Andræas auditor Scoti ad calcem comment. in 12. Met. quos nomine Scoti edidit, tradit. *Volo autem ſcire omnes litteram iſtam legentes, quòd tàm ſententiando, quàm notando ſecutus ſum doctrinam illius Subtiliſſimi, & excellentiſſimi Doctoris, cuius fama, & memoria in benedictione eſt: qui potē ſua ſacra, & profunda*

Do-

doctrina totum orbem adimpleuit, & fecit resonare, s. Mag. Ioannes Duns, qui fuit natione Scotus, Religione Minor. Demum iuxta laudabilem Conuentus Colon. consuetudinē nomen Doctoris Subtilis, & in librū nomina mortuorū, pro quibus offerenda sacrificia sunt, in sacrario asseruatū: & in tabula mortuorū in prædicti Conuentus domo capitulari repositam, relatum est.

Præterea gliscēte fama Doctoris Subtilis, in diesq; clarius reboante, nobiliore loco digna iudicata sunt eius ossa: quapropter in mediū chorum Ecclesiæ Franciscanæ, sub campana de tecto pendente, in lapidea pila latiore coorperta lapide, sunt reposita: de hinc terra cōpleto loco lapis honoratior superpositus est, & ad epitaphiū præcedēs quatuor, qui sequūtur versus adiecti sunt ex eodem libro manu scripto, in quo post præcedens epitaphium immediatè sequitur. XXIX.

Additio ad Epitaphium Scoti.

Hic lector Scotus Subtilis sit benè notus,
Doctor humi stratus, hac subq; nola tumulatus;
Pro quo orate Christi veniam flagitate,
Dicentesque piè, tu summe Deus miserere.

Huius tumuli Chronicon Colon. editum 1499. testimonium perhibet sub an. 1308. fuit verò facta hæc translatio (si coniecturis sit locus) tempore Sixti 4. quo mysterium Immaculatę Conceptionis B. Mariæ Virginis illustratum est Pontificijs decretis, indulgentijs peccatorum, sacri Palatij festo, confraternitate; tunc enim decebat præcipuum tàm insignis priuilegij defensorem, præcellentius innotescere.

Tertio cum anno Dñi 1509. ardenter agitaretur immaculata Deiparæ Conceptio (*ait Andreas Teuet in lib. de vitis, & imaginib. virorum illustrium in Ioannē Scotum*) Ioannes Scotus è terra rursus eamdem sua præsentia defensurus egressus est, ossibus erutis post altare summum Franciscanæ Ecclesiæ seruatis, donec editius monumentum auricalcho affabrè elabo- XXX.

rato tectum fabricaretur; Anno vero 1513. in eadem pila lapidea ad caput sepulchri sunt reposita. Hæc ex chirographo in arcula plumbea propè Scoti ossa inuento ab Adm. R. P. tùm Commiss. Generali, Ioseph Piscullio Melphiensi, & in Archiuio conuentus collocato euincitur. Chirographum annecto.

Notum sit omnibus & pateat euidenter vniuersis, & singulis tam præsentibus, quàm futuris, quòd anno Domini millesimo quingentesimo nono penultima mensis Augusti, sub Pontificatu sanctiss. Patris, & Domini Iulij diuina prouidentia Papa II. Archiepiscopatu Coloniensi Philippi Dieberstein, atq; Imperio Maximiliani Archiducis Austriæ electi, Ministeriatu Coloniensi Fr. Vvesseli Gosbrinch de Monasterio sacrosanctæ Theologiæ Magistri, Guardianatu huius insignis nostri Conuentus Colon. Fr. Ioannis Custer, lectoratu verò Fr Vvillelmi Franck Theologicæ facultatis Magistri, pœnitentiariatu Fr. Gerhardi Pauli facultatis dictæ Baccalaurei formati, cursoratu Fr. Cornelij de Dauentria, studij magisterio Fr. Rutgerij de Rattinge. Apertum est sepulchrum Doctoris Subtilis Fr. Ioannis Scoti ob singularem affectionem Patrum, & Fratrum: & inuenta sunt eius ossa integra, & admodum redolentia, subrubra, & in iuncturis alba ad instar lactis vncta. Et ex tunc in altari summo retrorsum posita. Mox in hoc sarcophago ex aurichalco facto, vt apparet ex nunc, eleemosyna Guardiani prædicti collecta. Anno verò Domini millesimo quingentesimo decimo tertio, sextadecima Mensis Augusti, hæc eius cuncta ossa hoc in sarcophago posita, atque recondita Pontificatu Domini sanctiss. Leonis Decimi, Archiepiscopatu Dom. Philippi Dieberstbein, Ministeriatu R. P. F. Hermanni Haueilor Sac. Theologiæ Magistri; Custodiatu custodiæ Frisiæ R. P. F. Ioan. de Dursten, Guardianatu R P, F. Gerhardi Pauli supradictæ facultatis Magistri, lectoratu Fr. Cornelij de Dauentria Bacculaurei formati, senioratu F. Iacobi Rutgerij Procuratoris Conuentus; & Rugerij Rattingen sacristæ Cõuentus, Cursoratu F. Iacobi de Mondorp,

studij

studij magisterio Fr. Vvillelmi de Solingen; quo quidem anno in octaua Regum ex tumultu populi Coloniensis decollati sunt in foro fœni burgi magistri, videlicet Ioannes de Reit. & Ioannes Oldendorp nobiscum in Capella S. Francisci sepultus, & reddituarius Ciuitatis Ioannes Bergum, alias Papegei, & alij plures ex ciuibus tres, quorum animæ in pace perpetua latentur.

Scriptum per me Fr. Liborium Rodolphi de Conuentu Paderbornensi maioris studij, huius insignis Conuentus decani. Anno Domini 1513. 16. die mensis Augusti.

Describam in præsentiarum situm sepulturæ Scoticæ ab his patribus extructæ. Descendenti à summo altari ad chori planitiem occurret vltimus gradus lapideus, in quo litteris exculptis hoc dicitur. *Obijt Fr. Ioannes Scotus sacræ Theologiæ Doctor Subtilis nominatus anno* 1308. Distat ab hoc gradu in chori planitie media Scoti sepulchrum pedis geometrici mensura, tribusque ferè geometricis palmis eminet à terra quadrangulum altera parte longius, laminæ ex aurichalco, vel ære coopertum: occurret ad pedes tegumenti hoc exasticum incisum. XXXI.

Ante oculos saxum Doctorem deprimit ingens,
Cuius ad interitum sacra Minerua gemit.
Siste gradum lector, fuluo dabis oscula saxo:
Corpus Ioannis hac tenet vrna Scoti.
Anno Milleno ter C C C. cumque adderet octo,
Postremum clausit letho agitante diem.

In medio ænei tegumenti est imago Scoti librum tenentis scitè elaborata; ad eius pedes hinc inde strati iacent duo Leones, velut custodes: in extremitatibus longitudinem ad dexteram, & ad sinistram occupant insculpti præclarissimi quidam Religionis nostræ Doctores, non omnes tamen sunt Scoti discipuli, eos ascendens enumero. Ad dexteram, Guglielmus Okam. Vgo de nouo castro. Franciscus de Mayronis, Ricardus de Media villa, Alexander de

Ales. Ad læuam, Nicolaus de Lyra, Petrus Aureolus, RogeriusVarro, Alexander de Alexandria, Gulielmus Varro. In superiori parte sepulchri ad caput Scoti tres in medio exculpti sunt Pontifices, quos Minorum familia enixa est, Alexander V. Nicolaus IV. Sixtus IV. cum eorũ stẽmatibus. In angulis latitudinem, & longitudinẽ implentes sunt duo Cardinales, scilicet D. Bonauentura Doctor Ecclesiæ, & Bertandus cum insignibus eorum. Tegumentum verò est egregium, & perpulchro artificis opificio intextum.

XXXI A sepulchro statim in pauimento Chori lapis quadratus inuenitur his literis desuper ornatus. *Hic aperietur Sepulchrum Doctoris Subtilis dicti Ioannis Duns.*

XXXII Super hoc lapide de abaco pendebant duæ tabellæ duobus Epigrammatis ornatæ, vt Henricus Vvillot, ac Tossinian. meminere. Sed ijs vetustate exesis in vnam tabellam epigrammata transcripta sunt: tabella postea ne furto auferretur, vt alia quædam, in bibliothecam translata est.

Primum Epitaphium.

Parisius plora, mœstis incede lacernis
Hic perit in toto, quod volat orbe, decus.
O Sorbona tuis humiles compone cathedras
Cultus ab ingenijs fons sacer artis abest.
Straminis in vico placidi certaminis ordo
Cespitat, heu belli desinit esse caput.
Pondere supremi validos componite luctus
Doctiloqui, pulset tristia corda pauor.
Hunc posito vult lato deflere togati,
Discipulis labor hic omnibus vnus erit.

Secundum Epigramma.

Doctor Subtilis soluens sua lustra Ioannes
Scoti mors *Scotus in obiectis vltima verba dedit.*
Huic humilis casto Francisci cordula renes
Strinxit, erat sapiens, presbyter officio.
Feruebat studio, nulli virtute secundus,

Quod

Quod didicit totum, mox alios docuit.
Concepta est Virgo primi sine labe parentis
Hic tulit: Hic hæresis prælia dira dedit.
Inde genus meriti tantum sibi Papa refundens
Doctor Subtilis dicitur, inde dedit.
Quatuor in scriptis, quæ sunt diuina probauit:
Hinc reliquis vates lumine plus viguit.
Quin & sancta mihi, quæ digna problemata liquit,
Ingenijs nostris fertiliora valent.
Artibus egit opem tuto, nunc ille modernos
Prosequitur pandens, quæ via sit veterum.
Tempora post Christi propria dulcedine lethum
Venit atrox raptim carcere composito.
Dogmata qui quondam retulit non infimus orbi,
Exiguus cunctis nunc silet exanimis.
Qui ratione stetit non victus semper Achilles
Cœno sordidior vincitur ille fimo,
Horrida iam sarcos trahitur sub lite voranda;
Hunc subeant vermes, pro noua præda venit.
Ante gradus medios Nola nunc vbi pendet ab alto
Hic chorus in terris ossa tenet tumulo.
Turba futura canet bona, quæ congessit in vnum
Singula, quæ docuit scripta relicta manent.
Flebile, qui busti præsens epigramma tueris;
Hanc animam societ, posce Deum superis

CAPVT NONVM.

POstremo Reuerendiss.P.Generalis Min. Conu. Iacobus Bagnacaballensis coram Illustriss.D.D. Antonio Albergato Episcopo Vigiliarum, & Nuncio Apostolico per tractum Rhenanum cum potestate Legati de latere an. 1619. die 13. Ianuarij Scotica erui iussit ossa. Elato itaq; lapide ad caput sepulchri, effossis ad perpendiculum duobus pedibus geometricis humi, quadratus lapis alter subla- XXXIII

tus eſt: cùm in pila lapidea trium palmorum extentæ manus apparuit caluaria ſuper maioribus oſſibus corporis: ſub his aliquāta terra minoribus quibuſdā oſsibus concreta. Oſſibus in ſacrario ſub duplici claue repoſitis, die ſequenti ſepulchrum eruderatum, parietibus lateritijs, atq; ſtrato quadrangulari opere ædificatum aſſere in medio librata. Item duplex arca parata, vna lignea, quæ humo ſub Scoti oſſibus exiſtente repleta, in fundo ſepulchri collocata eſt; altera plumbea quatuor palmorum exertis digitis emenſorum longitudinis, duobus latitudinis, penè duobus altitudinis, & in hac rurſus arca querna tegumento vitreo tecta, eſt adamuſſim incluſa; in ea pluribus collatis odoribus die 15. Ioannis Duns Scoti oſſa ſunt recondita, ſuperq; mediam ſepulchri aſſerem collocata. Cum Scoti oſſibus in eadem arca repoſitum eſt chirographū ſuperius relatū an. 1513. factum, & ſequens adiectum in vaſculo plumbeo.

In nomine ſanctiſſimæ, & indiuiduæ Trinitatis. Amen. Anno poſt natiuitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti 1619. Pontificatus Sanctiſs. D.N. Papæ Pauli V. quartodecimo, Inuictiſſimi Imperatoris Matthiæ primi Auſtriaci ſemper Auguſti ſeptimo, Sereneſs, ac Illuſtriſs. Ferdinandi Ducis Bauariæ Archiepiſcopi, & Electoris Colonienſis anno octauo: indictione 2. Cum prima die menſis Decembris in hanc Illuſtriſſimam Ciuitatem Colon paterno affectu, & zelo ductus Reuerendiſs. in Chriſto P. Fr. Iacobus Bagnacabal. Ord. Min. Conu. Miniſter Generalis ad viſitandum, & reformandum eiuſd Ord. Min Conu. D. Franciſci conuentum veniſſet, cumque multa pia, & ſalubria, & ſancta in actibus viſitationis inſtituiſſet: mandauit quoq; vt ſepulchrum Fr. Ioan Duns Scoti dicti Ord. Min Conu. Doctoris Subtilis in medio chori ſub campana ſitum, & aneæ lamina (quæ ipſius Doct Subt. effigie illuſtrata eſt) coopertum, aperiretur ad videndum vbi, & quomodo oſſa omni veneratione digna, requieſcerent. Die ergo 13. Menſis

Ianua-

Ianuarij præsentibus, & inspectantibus Illustris. ac Reuerendiss. D.D. Antonio Albergati Bonon. Episcopo Vigiliarum ac Nuncio Apostolico pertractũ Rhenanum cũ potestate Legati à latere. Item Reuerendiss. D. D. Othone Gereon Episcopo Cyrenensi, & Suffraganeo Colon. eodemmet etiã Reuerendiss. Patre Iacobo Bagnacabal Generali. Admod. Rev. P. Ioanne Pelckingio Prouinciali ministro, & Guardiano Coloniæ, ac Visitatore Generali. Adm R.P. Mattheo Veglensi Prouinciali S. Bonauenturæ. Adm quoq; R.P. Ludouico de Castro Prouinciali Leodiensi. R R. demum Patribus sacrosanctæ Theologiæ Doctoribus Gerhardo Romero. & . . . supradictum sepulchrum apertum est per vespillones subleuando lapidem iacentem ad caput sepulchri cui inscriptum erat. Hic aperitur sepulchrum Ioan Duns Scoti Doctoris Subtilis. Effossa ergo aliquantulum terra, inuentus est sarcophagus ex lapide viuo coopertus alio lapide. Et in eodem reperta sunt pleraq; ossa supradicti Doctoris valde rubea. Sed quoniam hoc modo parum decenter condita, & seruata putabantur: eo quod ad caput ipsius sepulchri in lapide impolito requiescerent; Hinc præfatus Reuerendiss. Pater Generalis præcepit, vt euacuata ex sepulchro terra opus concameratum sub ipso lapide construeretur, vt supra memorata ossa honestius ac decentius pro tanti Doctoris dignitate collocari possent. Confecta est ergo arca plumbea, cui ossa arculæ ligneæ inclusa piè sunt imposita, ac postmodum in sepulchro concamerato reuerenter collocata. Sarcophagus quoque ligneus præparatus est, in quo terra recondita est, quæ in antedicto sarcophago lapideo ossibus intermixta iacuerat: idemq; in sepulchro apud ossa collocatus, assistente & adspectante cum supradictis Patribus Reuerendissimo P. Iacobo Bagnacabal. ministro Generali, admirabili cum affectu zelo, ac pietate pro decore ac illustratione, honore, ac gloria Doctoris Subtilissimi, atq; Religionis Seraphicæ. In quorum omnium fidem ergo Fr Gerhardus Romerus sacræ Theologiæ Doctor, Notarius ad hoc à Reuerendiss. P. Generali specialiter deputatus,

tatus, præsens hoc instrumentum (salua semper copia vlterioris dilatationis) confeci; vocatis ad illud idem testibus Adm. R P. Vberto Iunckmanno P. Prouinciæ, & R R. Patribus P. Vvinando Stomellio, & P. Ioanne Molmanno Tremoniensi. Actum Coloniæ in Conuentu nostro D. Francisci M. DC. XIX. die mensis vt supra.

Fr. Iacobus Bagnacaballensis Minister General.

Ita est, Ego Fr Gerhardus Romerus sacrosanctæ Theologiæ humilis Doctor, tanquam Notarius, vt supra attestor.

Ego Fr. Ioan. Felix de Brixia Ord. Min Conue. S. Francisci secundus Secretarius, fidem facio & testor prædicta fuisse hæc scripta à Patre Magistro Gerhardo Romero de mandato Reuerendiss in veritatis testimonium. Die 15. Ianuarij 1619. in Conuentu S. Francisci.

Locus ✠ Sigilli.

XXXIV. Plumbeum arcæ operculum intrinsecus in membrana osse pellucido tecta hæc habet: *Hic iacent ossa Fr. Ioannis Duns Scoti Doctoris Subtilis pijssimi cultoris, & defensoris Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virg. Mariæ: qui è terra effossus, & in hunc locum terra, qua plenus erat, eiecta, lapide stratum iussu Reuerendiss. P. Mag. F. Iacobi Bagnacaballensis Ord. Min Conu. Ministri Gener. positus est; Anno 1619. 18. Kal. Februarij.* Extrinsecus pagina inscripta hæc est. *Reuerendiss. P Fr. Iacobus Bagnacaballensis Artium, & sacræ Theologiæ Doctor nec non vniuersi Ordinis Min Conuent. Minister Generalis anno 1619 dum hunc Conuentum visitat Fratris Ioannis Duns Scoti Doctoris Subtilis meritò nominati, intemeratæ Conceptionis Virginis Mariæ pijssimi cultoris, & acerrimi propugnatoris; Ossa, quæ terræ immixta in diem illum vsq; iacuerant, effossa humo, in loculum concameratum; stratumq; eiusdem Reuerendissimi iussu constructum, ac plumbea arca inclusa intulit 18. Kal. Februarij.* His exactis arca plumbea conclusa est; & à quatuor lateribus, ne posset aperiri sigillo religionis Minor. Conuentualium munita: duobus Prouincialibus

Matthæo Veglense, & Ludouico à Castro ferentibus, præsente Reuerendiss. Patre egregij facinoris auspice, toto Conuentu, & quàm plurimis, tùm doctrina, tùm nobilitate præstantibus viris, qui ad tanti Doctoris Reliquias videndas confluxerant, à sacrario in sepulturam delata, & super asserem in medio sepulchro posita est. Nec mirum, si defensor immaculatæ Conceptionis hoc tēpore gloriosè exiliuit, quoniam paulò ante .s. anno 1617. 12. Septembris Paulus Quintus sanctæ recordationis decretum ediderat, quo sententia Scoti est illustrata, sententia verò opposita, ne in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs actibus publicis assereretur, est pressa. Quin & modò, cum plurium Doctorum virorum laboribus Scoti vita, mores, doctrina tùm Apologijs, tùm historijs illustrantur, Scoticum quoque placitum coruscat; Nam Sanctiss. Dominus noster Gregorius XV. hoc anno 1622. die 24. Maij sanxit, ne opposita sententia, Diuam Virginem peccato pollutam asserens possit in sermonibus, aut scriptis priuatis affirmari; atque vt iuxta Scoticæ deuotionis nomenclaturam, omnes ecclesiastici, sæculares, aut regulares in officijs, sacrificijs, publicis, ac priuatis sub Conceptionis intemeratæ titulo Deum Opt. Max. & Dei parentem collaudētur: nam simul, & singulare Doctoris Subtilis dogma, & Subtilis Doctor illustrantur. Ad hæc, ne inter pietatem curiositas deesset, ossium Scoti mensurā à me obseruatam adijcio, vt quisq; proportione adhibita staturæ Scoticæ proceritatē venari possit. Si igitur hanc lineam _________________________ octo vicibus accipias cruris longitudinem à pede ad genu habueris; Si verò sequentem totidem vicibus repertas, os fœmoris, quàm longum sit disces ____ Hinc habita statura, & ab Andræa Theuet effigie, poterit

quilibet speciem corporalem Doctoris Subtilis concipere, sicuti speciositatem intellectus eius ex eius libris admiratur orbis vniuersus.

CAPVT DECIMVM.

XXXV. MOdos quibus Ioannes Duns Doctor Subtilis ex vita migrauit tàm multos, tàm varios legi, & longè plures, ac varios audiui, vt ferè dubitem, an Scotus sit mortuus. Ex incertis certum colligere, est perdifficilè. Vnum est, in quo consensus authorū cernitur, hoc est Ioannem Dunsium repentina morte correptum. Duæ sunt sententiæ celebriores de modo mortis, quarum vna Germanis plerisque omnibus, & quibusdam Italis placuit. Altera verò Italis, paucis præterea. Prima Dunsium astruit apoplexi oppressum: In ea sunt Hatmannus Schedel Nuremberg. in Chronico magno figurato, nam hoc est authoris nomen ex pagina 266. fac. 1. Philip. Bergom. in supplemento. Appendix ad Vincent. Beluacen. Io. Pitseus in Doct. Subt. Guliel. Eisengren. in catalogo testium. Petrus Opmcerus Steph. Broelmen. Colon. in Scoti vita. Iouius in Elogijs virorum doctrina illustrium, Bzouius, in Annal. eccl. ad an. 1294. & cum eo Matenesius, Antonius Posseuinus in appar. sacro. Andræas Theuet.

Secunda tenet Dunsium in contemplationem extra se raptum, ab eius rei nescijs pro mortuo tumulatum: Patroni sunt. *Paulin. Berti Lucens. Petr. Rodulph. Tossinian. Franc. Gonzaga, qui Sabellicum ipsius etiam phrasibus in lib. 7. exemplo 4. imitantur. Ioan. Gualt. Belga in Chonico chronicorum ecclesiastico polit. de Archiepisc. Colon. num.* 580. *Antiquissimus est S. Bernardinus in tom. 4. in serm. extraordinarijs ser. 1. car. 5. col. 2. littera E. &* *F.* qui nec mentiri vellet, quia sanctus, & nostras: nec ignoraret, si vellet cognoscere, quia & primo

fæculo à Scoti morte vixit, & authoritate pollens, rei, veritatem conquirere valuit. Nunc refero dicta Sabellici, & D. Bernardini. Breuia quippe sunt. Sabellicus. *Prædicari, inquit audio Ioannem Scotum, quo nemo Subtilius diuinas tractauit litteras, animo linqui solitum, ac velut exanimem eodem quo deprehensus, loco per diem interdum, & amplius immobilem sedisse, mente, & sensibus sopitis, aut certè procul à corpore aberrantibus: atq; ita demum ab hominibus eius rei ignaris pro defuncto elatum.* Hunc imitatur Eborensis *tit. de contemplat. car.* 968. & Gerardus Mercator in Athlante de Scotia. S. Bernardinus de Senis. *Oportet*, inquit, *subleuare mentem ab istis sensualibus ad insensualia, sicut accidit Magistro Subtili f. Scoto, qui ita fuit extractus de sensualibus ad insensualia, & ita fuit eleuatus, quòd fratres, qui ignorabant hunc eius solitum morem, credentes ipsum fore mortuum subterrauerunt eum viuum, & postea venientes eius discipuli, scientes id sibi sæpe accidere, quid foret de eius Magistro interrogantes, repererunt eum viuũ subterratum fore, & suffocatum.* Assentitur Ludouicus de Manganellis à Pola. Petrus autem Cratepolius pro vt in suis manu scriptis, & impressis referat, modò in prima, modò in secunda, modò in neutra sententia fuit, vt ei hac in re nihil deferam. Deinde XXX quoniam nec Sabellicus, nec S. Bernardinus negant Ioannem Duns terra opertum, imò secundus expressè nimis hoc dicit, omnes à Iouio; & Genebrardo circumstantiæ narratæ sunt falsæ, vtrauis recepta opinione, siue de apoplexia, siue de extasi.

Sed in Sabellico, & Bernardino communiter ob XXXVI seruo primò Ioannem Scotum tempore studiorum obijsse, hoc est octaua Nouembris, quo tempore non est verisimile discipulos abfuisse, quare Gerardus Mercator Dunsium à discipulis terræ traditum opinatur. Secundo si abfuissent à Conuentu, vel ante, vel post prandium, an tres horas non sustinuissent

sent fratres exequias demortui, vsquequo discipuli rediissent? Præterquam quod copiosissimi studentes erant Coloniæ, vbi ducenti fratres, & amplius morarentur. Tertio si Scoti extasis insolita est, falsò asseritur solita: si solita est, in famosissimo viro, famosissima esset, quemadmodū excessus Xenocratis, Platonis, Socratis fuere in profundissimis meditationibus. Nec.n. est in potestate illius, qui extra se diuagatur, abscondi. Quarto si primùm deprehenso raptu sepultus fuit, raptus solitus non fuit. Si autem antea deprehenso, sed celato, Sanè quod potuit occultè esse factum, potuit occultè esse fictum. Profectò aperta discipulis, quæ laudem præceptori parerent, cæteris occulta fuisse non credemus. Quinto. Cur speculatione abstractus non sensit motum corporis, ablutionem, portationem, exequias, ac terræ oppressionem? tàm insensatum, verius mortuum, quàm speculantem dixerim. Sextò, si fratres præsentes iudicarunt mortuum, absentes aduenientes viuum dicant: Quâ ratione probabitur mors extasis, vel extasis mors fuisse? Cur absenti potius, quàm præsenti creditur? Hæc sint communia dicto Sabellici, & Bernardini.

XXXVII. Speciatim circa testimonium huius sancti obseruo primùm, opus videri supposititiū, quia in Ethruriæ Castillione manuscripta seruantur apud Franciscanos Conuentuales opera S. Bernardini Senensis; neque tamen inter sermones eius Extraordinarij reperiuntur. Deinde stylus D. Bernardini ex 1. 2. ac 3. tomo est clarus, sed purus: At sermones extraordinarij, & 4. tomus, tàm distat à stylo Bernardini, quā à cælo terra, est enim oratio eorum ipsorum sermonum terra, barbara, incongrua, & cortice rustico scabrior. Tertio in serm. 11. car. 65. colum. prima, linea vlt. citatur factum S. Bernardini, quod verisimile non est à Bernardino citatum; & cart. 106. ac

107. apparet opus esse scriptum à Daniele Pergulio, atq; initio tom. 4. ad lectorē, constat, plura tùm addita, tùm detracta dictis eiusd. sancti, cuius conciones Daniel prædictus excipiebat, vt ait; & fortasse ēt hæc de Scoto narratio ex additis est. Quarto diligentiā historici huius ex alia historia vestigemus. In sermone 16. extraordinario narrat, quod Ioachim Abbas ante centum annos B. Franciscum Christi stigmatibus insignitum Venetijs in D. Marci ædibus effinxerit: Et ex hoc authore, vt censeo, idem asseruit author Chronici Franciscani par. 1. lib. 2. cap. 72. Vixit autem Ioachim anno Domini 1200. vt Sixtus Senensis in Bibliotheca, & Anton. Posseu. in apparatu eximia diligentia, vt solet, notant. Atq; ex epistola Abbatis ante suum librum concordiæ data 1200. reuincitur. At S. Franc. Religionem exorsus est 1206. à propria, vel 1208. à sociorum conuersione, quorum illud Memoriale ordinis, hoc autem Chronicum Franciscanum obseruat. Item ante vaticinia Ioachimi in eius vita Gabriel Barius inquit de Ioachimo. *Prædicatorum, ac Minorum ordinis initiatores mox futuros, quin etiam in ianuis Ecclesiæ prædixit. Et quidem cum hæc præsagiuit, ipsi in mundo erant, sed qui futuri essent, ignoti Ordines autem initiarunt paucis post annis, quàm ille prædixerat, vt potè D. Dominicus tribus, D. Franciscus nouem. Quos vel Venetijs in D Marci delubro, quod Salomonis templi instar fieri curauit, effingi fecit.* Itaque S. Bernardinus septuaginta annorū errorem vel circiter, aut potius Daniel Pergulius subijc. In beato Francisco de capite error est, in Ioanne Scoto de membro Religionis multò minus noto: In illo de miraculo maximo salubrium vulnerum, in hoc de inopinato euentu: In priore de loco Venetiarum viginti quinque millibus passuum Patauio distante, in posteriore de Colonia Agrippina multis milliarium centurijs dissita; ergo in clara

luce

luce palpat, quid igitur in tenebris videbit? Non ego splendorem D. Bernardini minuere velim, sed nolim alienis tenebris denigrari.

XXXVIII. Quinto, id ipsum, quod Alberto Magno sapientia & probitate clarissimo euenit Coloniæ, Scoto quoque ibidem euenisse puto; Legi in vita Alberti ab anonymo Dominicano scripta complures actus prauos, & conficta gesta ab alijs, vulgi errore, personam pro persona supponentis, Alberto attributa. Sic & Scoto accidit. Gero Archiepiscopus Coloniensis fraude Vvalrami Diaconi ob ambitionem episcopatus properatò funere sepultus est, cum in extasim, non mortem incidisset. Ita in Chronico Chronicorum ecclesiastico polyticorum, Io. Gualterus Belga pag. 1282 scribit. (Consentiunt Gaspar Bruschius in epitome de omnibus Archiepat. & Episc. Germaniæ car. 1281. & 1282. & Magnum Chronicon Belgicum Francofurti apud Claudium Marnium fol. 84 85. & 88.) *Vvarinus siue Vvalramus fuit Geronis religiosissimi præsulis Diaconus, ac planè infidus in Dominum suũ. Cum enim Archiepiscopus vehementi capitis dolore, quem morbum extasim dicunt Medici, laboraret, & mortuo per aliquot horas non esset dissimilis, & cum ægritudine corriperetur, huius fraude (vt fertur) optimus oppressus est, & sepultus. Cum iam sublatus esset Vvalramus Episcopatum ambijt, & obtinuit. Verùm demum ductus pœnitudine de scelere Romam profectus est reatum suum summo Pontifici confessus, ac ea ratione absolutus, vt aut nouum institueret Monasterium, aut vetus aliquod in Diœcesi instauraret. Monasterium igitur D. Martini Coloniæ restaurauit, ac bonis multis pro religiosis ex Scotia, quod S. Brigida, in cuius honorem Episcopus vicinam consecrauit Parœchiam, Virgo scotica fuit, dotauit.* Vvalramus verò nouem annis præfuit anno 975. aut circiter mortuus. Quia igitur Scotis Monasterium illius viui sepulti causa erectum est, vanitas vulgi haud rectè distinguens,

Scotum

Scotum dixit viuum sepultum. Sed quòd Gero sepeliretur viuus, crimen ambitus in causa fuit: quòd Ioannes Dunsius, nihil minus fuit. Hisce rationibus adducor in priorem opinionem, quam Germani authores de rebus in Germania gestis peritiores tuentur, & facti circunstantiæ firmiores.

CAPVT VNDECIMVM.

DVo sunt, quæ de Scoto post morté memoranda manserunt, libri, atque discipuli: In his etenim Doctoris vita functi doctrina superstes viuit. Librorum alij sunt impressi, & extant. Alij referuntur ab historicis, sed à sapientibus desideratur. XXXIX.

Prima classis librorum, qui extant.

1. Quodlibetum Scoti. Quod incipit. *Cunctæ res difficiles.*

2. Scriptum super quatuor sententiarum libros, quod Oxoniense, vel Anglicum appellatur. *Circa Prologum huius primi* Dunsij partus est legitimus, cui Antonius de Fantis Scotista egregius in epistola ante Mare magnum, & quodlibetis palmam inter opera Scoti concedit. Scriptum Oxoniense impressum fuit à Thoma Penket Anglico ex Eremitana familia per Albertum de Stendael an. 1474. paulò post impressoriam inuentam à Io. Germano in ciuitate Metensi. s. anno 1458. *Io. Lesla lib. 8. in Iacobum II. car.* 308. vel 16. annis ante *Maguntia, Catalog. glor. mundi par.* 11. *consid.* 39. Nouissimè à Paulino Berti Lucense ordinis Eremitarum Venetijs recusum est 1617. hoc scriptum Oxoniense cum Quodlibet. Collationibus: vt plurimum teneantur Eremitanis Scotistæ propter Scoti impressionem. Placet commouere Scotistas. Nam scriptum Oxoniense, quod vocant, non potuit Oxonij esse scriptum, quia in secunda Prologi §. *De* 7. cognoscitur opus compositum, post 1300. & in 4.

Sentent. d. 25. q. 1. Doctor profitetur se legisse bullam Benedicti xi. anno 1302. prima Nouembris electi, 1303. nonis Iunij defuncti. Tunc autem Ioannes Scotus sub Guardiano Parisiensi tanquam licentiandus erat iuxta litteras Generalis Gonsalui præcitatas.

3. Collationes Parisienses, vel disputationes lib. 1. *Vtrum tantum sit.*

4. De primo principio lib. 1. *Primum rerum principium.* Opus est Scoti, & ferè totum habetur in 1. d. 2. q. 1. & 2. Ioan. Rioche in compendio temporum addidit librũ De primo principio complexo, & incôplexo, qui liber vel non extat, vel est idem cum prædicto. Ioannes Pitseus tanquam duos citat librum De rerum principio, & librum De primo rerum principio. Henricus Vvillot hunc librũ ter numerat.

5. Theoremata liber vnus *Intellectus intelligibilis,* Mauritius Hibernicus curauit excudi hos duos libros cum suis annotationibus, 1513. Parisijs per Ioannem Paruum: habetur opus in bibliotheca Patrum Capuccinorum Parisijs, & in bibliotheca Minorum Conuentualium Bononiæ.

6. Reportata Parisiensia libri quatuor. Opus potius est alicuius Scotistæ, quàm Scoti, nam quandoque in sententijs discrepat ob Oxoniensi, Stylo est omnino diuersum à præcitatis Scoti operibus. Scotum scripsisse Reportata ferè constat, sed à nobis haberi ea non constat; & quia commixtæ sunt quæstiones ex Reportatis cum Oxoniensi, quod non paruam generat confusionem, satius fuisset prænotare in principio loca ex Reportatis prompta.

7. Quæstionum in Metaphyca libri nouem, *Omnes homines* Opus est Scoti, & citatur in 3. dist. 36. q. 1. articulo 2. K. & L. locus de 6. Met. q. 1. Quidam citant libros duodecim quæstionum Mauritij opera impressos, sed perperam.

8. Collectiones conclusionum Metaphysicarum libri

libri duodecim *Conclusiones Metaphysicæ Aristotelis.*

9. Quæstiones super libros de anima liber vnus, *Quæritur vtrum sensus.*

10. Commentarij super libros octo Physicorum, libri octo. Scripsit eos Scotus, qui tamen a Patre Aretino sunt nuper editi, Scotistis communiter non videntur Scotici fœtus.

11. In Vniuersalia Porphyrij lib. 1. *Circa logicalia.*

12. Quæstiones super Prædiamenta liber vnus, *Quæritur vtrum liber prædimentorum.* Pitseus, & Possevinus referunt librum vnum super cathegorias Aristotelis à libro super prædicamenta distinctum: Sed idem sunt prædicamenta, & cathegoriæ.

13. In libros Perihermias lib. 2. *Circa subiectum huius libri.*

14. In libros Priorum lib. 2. quæstionum, *Quæritur circa librum Priorum.*

15. Quæstiones super lib. Posteriorum, lib. 2. *Scire autem opinamur.* Pitseus citat in lib. Priorũ, & Posteriorum lib. 2. manu scriptos Oxoniæ in publica, qui fortasse verius, quam impressi Scoti sunt: saltem P. Fauentinus Faber iudicat lib. Priorum non esse Ioannis Dunsij, Theor. 6. cap. 3. cuius opinioni subscribo.

16. Quæstionum in lib. Elenchorum lib. 1 *Quæritur vtrum logica, &c.* Omnes autem libros ad logicã facultatem spectantes, Ioanni Scoto ascriptos, in vnum volumen coegit Illustrissimus Cardinalis Sarnanus, quod impressum est Venetijs anno 1587. apud Franciscum de Franciscis. Gulielmus Vorilon in primo dist. vltima, tradit logicam Scoti sic incipere. *O Deus, qui es terminus sine termino, da mihi benè loqui de termino.* Sed hanc logicam non habemus.

17. Grammatica speculatiua fertur sub nomine Scoti, quæ & Alberto de Saxonia tribuitur: & est idem liber qui De modis significandi à Bartholomæo Pisano, Ioan. Pitseo & alijs inscribitur. Adest

in bibliotheca Min. Conu. Bononiæ.

18. Appēdix ad libros impressos erūt manu scripti quidam à Ioanne Pitseo Ioan Scoto ascripti. De perfectione statuum, lib. 1. *Status Prælatorum præsupponit.* M. scrip. est Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

19. In Aristotelis Meteora, liber vnus. M. scrip. Oxonij in Collegio Magdalen. Baliol. Orial.

20. De paupertate Christi liber vnus Citatur in Firmamentis trium ordinum. M. S. est Romæ in bibliotheca Vaticana.

Secunda classis librorum, qui desiderantur.

XXXX. 1. Postillæ super sacram scripturam. Bartholomæus Pisanus conformit. 8. car. 61. vel 97. huius operis meminit.

2. Commentarij super 4. Euangelistas. Bartholomæus Pisanus. Trithemius, Gulielmus Eisengren. Sixtus Senensis, & alij.

3. Commentarij in Apostolum. Fragmentum in epistolam ad Rom. cuius initium est. *Circa epistolam Pauli ad Romanos*, fatetur se legisse Lugduni Sixtus Senensis. Recensent hos Commentarios Pisan. Trithem. Eisengren. Bellarm.

4. Lectura super Genesim ad litteram, lib. vnus ex Antonio Posseuino, Bellarm. Rioche, Pitseo, Vvillot.

5. Sermones de tempore liber vnus: *Erunt signa, &c.* In hoc Euangelio.

6. Sermones de Sanctis liber vnus: sermones referunt Trithem. Pitseus, Posseuinus, Rioche.

7. De cognitione Dei liber vnus. *Quia summa nobis*, Trithem. Posseuin. Bellarm. & alij.

8. Tetragrammata quædam. Posseuin. Bellarmin. Pitseus. Vvillot.

9. Commentarij in 11. libros Metaph. quos citat Scotus in 4. d. 11. q. 3. §. *Ad rationes pro prima opinione*, sub duplici Ce. Hoc opus propria Dunsij manu exaratum Dunsij seruabatur, sed furore Knoxij omnes

bibliothecas catholicas in Scotia cõcremantis exu-stum est. *Thomas Dempster testatur loco citato*. Commentarij autem nomine Scoti nunc editi sunt Antonij Andreæ, vt ex fine operis colligere est.

10. Formalitates lucidissimas ab Scoto compositas renarrat Barthol. Pisan. car. 97.

Enumeratis operibus Doctoris Subtilis superest dicere, ea esse integræ fidei catholicæ, atque doctrinæ: De fide Posseu. inquit. *Cuius doctrina graue illud testimonium extat, quòd eius libri, absque vllo erroris næuo vsque in hanc diem trecentos circiter annos in Oecumenicis Cõcilijs inuiolati permanserunt*. Conspirat Anton. de Fantis in epistola Mari magno Scotico præposita. De opinionibus nunquam ab vniuersitate Parisiensi notatis laudatores lectissimi sunt Vorilon in 1. d. vlt. Tossinian. Gonzaga, Rioche, Pauliuus Berti. Quamobrem Bartoluccius in Apologia iure inuehitur in Iouium, qui Scotum, Scoticamq; methodum, quasi diuinis dogmatibus illuserit, sacrarum rerum fidem confuderit, figmentis veritates catholicas asperserit, captiosis proteruisq; syllogismis Christi placita obduxerit, ordinis Franciscani optima ingenia perdiderit, lites, & eas immortales seuerit, vitam criminum horrore infecerit, accusat, criminatur. At quàm veraciter scripserit Iouius attigere Bartholuccius loc. relato. Robertus Turnerius libel. de histor. cap. 6. Osorius de rebus Emanuelis lib. 6. Ioseph. Scaliger in vita Patris Iulij Cæsaris Scaligeri, Melchior Canus lib 11. cap penult. car. 656. de locis Theologicis argutè, sed verè, *Paulus Iouius*, (inquit) *est in quamlibet partem nimius odio & amore, gratia, et simultate. Et quoniam pecuniam amabat in historia quoque scribenda pecunia seruus fuit*. Atqui Scotistæ veraces pauperes, nec præ inopia potuissent, nec præ veritate voluissent pecunijs fallacem calamum redimere. Ad extremum, stylus Doctoris Subtilis in XLI.

suis libris simplici latinitate decurrit, non comptus, non elegans: siue quod illud sæculum laudem elegantiæ neglexerit, siue quod scholasticæ subtilitates, & anfractus vix nitorem patiantur. Sicut in Apologia Pici Mirandulani præfatio legitur ornatissima, disceptatio scholastica nuda prorsus. Sic etiam Bessario lib. 3. in calum. c. 1. Laudatur tamen à Nicolao Audecto Carmelita Subtilis Doctor hoc disticho.

Longus, & hic breuis est, ieiunus, floridus, asper:
Sermone & minimo maxima sensa refert.

Cum styli simplicitate obscuritatem habet implexã, tùm ob recondita, quæ in lucem promebat, tùm ob vitæ breuitatem quæ limandis eius inuentis non suffecit. Ob hanc obscuritatem Sixtus Senensis perperam credidit Scoto datum fuisse titulum *Scotinos*: Nam aliud Scotus, aliud est Scotinos: Scotus græcè tenebra diceretur, Scotinos tenebricosus, qui titulus Heracliti cognomentum fuit, de quo Lucretius.

Heraclitus init, quorum dux prælia primus,
Clarus ob obscuram linguam.

Titulus autem Dunsij est, *Subtilis*, prout Petrus Aureolus, qui 1310. Lutetiæ regens erat, scribit in Prolog. q. 2. car. 24. colum. 2. in fine dicens. *Hac positio Subtilis, & moderni Doctoris.* & in 4. d. 10. q. 2. car. 86. col. 2. *Doctor ille modernus & Subtilis.* Est igitur à subtilitate, non ab abscuritate celebris Doctor Subtilis: & Scotus à patria, non à tenebris dictus.

CAPVT DVODECIMVM.

XLII. Restat Subtilium discipulorum recordari. Sit primus Franciscus de Mayronis cognomento Doctor *Illuminatus* Ioannis Scoti auditor, & propè Scoticæ gloriæ æmulus, crebrò tamen grata animi recordatione Magistri reminiscitur. Secundus Antonius Andræas Aragonius præclaro titulo Scoti *Fidelis*

delis dictus, & meritò, si calcem libri eius de tribus principijs, & 12. Metaphysicæ conspicias. Tertius Ioannes Bassolius Doctoris *Ordinatissimi* epitheto, Ioannis Scoti discipulorum dilectissimus asseritur à Ioanne de Rada primo tomo, controuer. 4 & Orontio Fineo in dedicatione operum Bassolij, ac discipulorum princeps, quo præsente auditorium adesse, absente abesse profitebatur Scotus ex Anastasio Turriano in dedicatoria Bassolij. Antonius Posseuinus eum longè post Scotum facit .s. in annum 1466. Verùm in antiquis exemplaribus dum essem in Gallia, sic legi. *Explicit lectura Fratris Ioannis de Bassolius super 4. sent. lectum ab eodem Rhemis anno Dom.* 1313. Quartus Ioannes Canonicus refertur: quintus Gualterus Burleus, quorum ille celebratur in quæstionib. iste in commentarijs phiysicis; & quia Io. Canonicus frequenter citat Franciscum de Marchia tanquã Scotistam ex relatis fragmentis egregiè subtilem, Ideò Scoti discipulis libenter adderem Franciscum de Marchia, Scotiæ, an Italiæ non decerno: Ex discipulis Scoti expungerem Aluarum Pelagium, si quidem ex eius lib. de planctu Ecclesiæ an. 1305. in ord. Min. receptum 1306. Pisis fuisse constat, vnde Scotum in Gallijs florentem audire non poterat: nec ante Religionem audiuit, qui legibus Bononiæ discendis Doctore Archidiacono, & postea docendis operam dederit. Qui verò eum Scoti auditorẽ censet, legat lib. 2. cap. 33. & 52. & facile censurã deponet. Sexto auditor Scoti dicitur fuisse Landulphus Neapolitanus, sed Petrus Aureolus æmulus, non discipulus est. Gulielmus Okam deinde venerabilis nominalium inceptor, flos modernorum, Doctor plusquam Subtilis appellatus, ex discipulo Scoti Scoti antagonista acerrimus euasit, Inceptor nominalium appellatur, non quòd primus illius sectæ fundamenta posuerit, quam refutat Seraph. Doctor Ion-

gè ante 1,d,41.q. vlt.nu,25. & in 3.d.24. q. 3. nu. 22. sed quò magnoperè eam illustrauerit,& robore doctrinæ acutissimæ amplificauerit. Refertur inter Dunsij auditores Ioannes Iandonus, vel de Ianduno, vir Philosophiæ gloria præcellens, Auerroistarum ferè maximus, plerunque à placitis magistri desciscens. Hi duo parum grati erga præceptorem priuatum, & in Ecclesiæ Doctorem vniuersalem insurgentes, impiè contra Ioannem XXII. senserunt. Quanquam ambos tanti facinoris pœnituisse arbitrer; res de Okamo certior est, retractauit enim benè, quæ malè scripsit, & in Hibernia pro Sancto colitur teste Volaterr. lib. 3. cap. Britannia.

XLIII. Conuertamur denique ad sequaces. Ioannes Duns Scotus de patriæ nomine Scotistarum Academiam erexit, magnificè admodum, cum tantum authoritatis penè compararit apud Scotistas, quantum Pythagoras apud Pythagoreos, cum vtrobiq; plerunq; sufficiat asserere; *Ipse dixit*. Magna verò illa, & eximia Scoti laudatio neutiquam prætereunda: quòd Subtilis doctrina in publicis vniuersitatibus plurimis legatur, primum quidem in Principe vniuersitatum Parisiensi, dehinc in Patauina, ac Ticinensi lectores Theologiæ, atque Philosophiæ stipendijs publicis obtinet. Præclaram in Salmanticensi celeberrima Academia, & in Conymbricensi tenet, primam vero cathedram in Complutensi, alijsq; multis. Sed & in Vrbe lector Theologię Scoticus adest. Cæterũ Franciscana religio totum per orbem diffusa, cum Scoto Scotiæ nomen quocunque peruenerit gloriæ splendoribus exornat. Si etenim Scotia vnum Ioannem Scotum religioni est elargita, religio Scotistas innumeros laudem grates immensas referentes generosè fœcunda progenerat. Quando verò Minoritæ Ioannem Scotum, ceu studiorum antesignanum delegerint, non comperi. Mauritius Hibernicus in ob-

obseruationibus ad caput 4. libri de 1. principio, de Okamo Dunsium impugnante, *Fortè (inquit) etiam non in vituperium Doctoris, quem suum, & Religionis, & Subtilem plerunq; nominat, scripsit: sed rigore Minorum, qui nemini parcunt synderesi, & conscientia sibi appropriatis moti:* Ergo statim à morte Dunsij Dunsius tanquam religionis Doctor haberi cœpit. In constitutionibus sub Alexandro VI. editis cap. 5. Regentes iubentur legere Doct. Subt. aut Alexandrum de Ales, D. Bonauenturam, Franciscum de Mayronis, aut Ricardum, eo quod non sint omnes apti ad acumina Scoti. Acumina sanè fœcundissima, quibus Philosophia, & Theologia magnum sumpsit incrementum. Dicam cum Paulino Berti Augustin. *Nam cum Ioannes Scotus inuestigandæ veritatis studio mentis aciem paulò altius, quàm alij, intenderet, nouas rationes, & argumenta inuenit, peculiares difficultates excogitauit, alias opiniones præter communem disertissimè tuetur, & aliorum dicta, atq; rationes subinde carpit. Hæc ferè omnia disputationis gratia, vt inde veritatis amatores, & differendi periti haberent, in quo feliciissimè exercerentur. Nam si à scholis auferas peculiares Scoti opiniones, reliquum est, vt ipse planè differendi vsus & occasio langueat.* Hac ingenij sublimitate nomenclaturam ingentem est assecutus, annotante Sabellico lib. 6. exemplorum c. 3. vt vel sola appellatione sint abundè noti Seraphici, Angelici, Subtilis, Irrefragabilis titulo præclarissimi viri Bonauentura, Thomas, Ioannes Duns, & Alexander Alensis, inter quos Scotus ipse splendidè promicat.

Scotica Academia plurimos produxit in lucem Commentatores, & auctores, ex quibus eorum indicem componam, qui ad meam notitiam peruenerunt. Princeps Commentatorum esto Franciscus Lichetus Brixiensis, qui doctissimè in primum, secundum, tertium sententiarum, & in Quodlibeta con-

ſcripſit. Deinde Petrus Tataretus in quatuor ſentētiarum, & Quolibeta commentarios clariſſimos excludens multam laudem comparauit. Philippus Faber Fauentinus in ſingulos libros plura compegit ſapiētia plena, & nondum cōmentationibus finem fecit. Angelus Vulpes Scoti doctrinam in ſummā redigere primus ſapienter inuenit cōmentariorū in primā partē tribus Tomis editis, in reliquas fœliciter laborat, floret. Iacobinus Bargius in 1. ſentent. & ante ipſum Paulus Vigerius ambo Ianuenſis prouinciæ alumni opus diduxere. Paulus ſcriptor itidem primum ſententiarū declarans, Gratianum Brixienſem eadem methomo ſecundum ſententiarum Scoti declarantem inuitauit. Petrus Aretinus tertium ſenten. commentarijs elucubratis exornauit. Guido Brianſonus eruditè ſatis in quartum ſenten. opus anno 1488. exactum doctorum mentibus videndum emiſit Io. Yribarne, & Yraboru duos tomos in 4. ſenten. nuper eduxit. Franciſcus Herrera in ſecun. duos tomos, & alia quædam. Gadius Bonon. luculenter Quodlibeta expoſuit.

Compendia è Scoti fontibus hauſta ſcripſere plures. Gulielmus Gorris Aragon. Scotum pauperum colligauit. Nicolaus de Orbellis in quatuor ſentēt. vtiliter valdè Scoti doctrinam contexuit. Petrus de Aquila cognomento Scotellus, & Melchior Flauius quatuor libr. ad ſummam redegere, ſed Nicolaus de Nyſe ſummam edidit Theologicam, non librorū ſeruato, ſed rerum ordine admodum proficuam. Ioſephus Angles ex ſecundo, & quarto ſentent. Scoticos flores apis ad inſtar euxit. Magiſter Antonius de S. Leone Picenus tertium ſententiarum egregiè concinnauit ex Reportatis, & Oxonienſi, eius autographum in mea manu eſt. Horum omnium coriphæus, vel fidelitatis iure, vel antiquitatis gratia, ſaltem, conſtituatur Antonius Andræas in quatuor ſentent.

In-

Indicum obseruatores in Scoto: Hieronymus de Ferrarijs Fantonus ordinis Prædicatum *Repertorium Scoti*. Antonius de Fantis Taruisinus *Mare magnum* accuratissimè conscripsere. Bartholuccius Assisias Syllabum generalem vltimus, Iacobus ab Æsculo (ni fallor) primus Indicem Scoti extruxit. Ioannes de Colonia, ne de me quæratur, Ordinem Alphabeticum ad Scoti quæstiones, & eum iurè optimum, ac magno vsui Scotistis concessit.

Authores ex officina Scotica nobilissimi prodiere. Primùm quidem discipuli penè omnes rē Theologicam præstantissimis auxere scriptis. Petrus de Candia, qui Ecclesiæ claues vniuersæ tenuit, calamum in libros sentent. præclarè distrinxit. Sixtus Quartus opus de sanguine Domini mirabile peregit, quod etiam nunc in bibliotheca Franciscana Coloniensi afferuatur in membranis.

Metaphysici ex Scotistis sunt, Antonius Andreas, qui cæteris palmam præripuit, dum comment. & quęstiones in 12. Metaphysicæ libros exarauit. Et Anton. Trombeta quæstiones itidem in 12. libros, ac etiam Quodlibetum Metaphysicum texuit. Alexander de Alexandria scripsisse fertur in 12. libros Metaphysicę, cuius opus adhuc latet. Tataretus sex Metaphysicorum percurrit summatim.

Physici. Ioannes de Magistris, qui totam penè Philosophiam naturalem prosecutus, comitem eiusdem laboris egregium, vel imitatorē habet Petrum Tartaretum. Nicolaus de Orbellis cursum philosophicum raptim calcauit. Franciscus Sanſonius quęstiones in libros 8. physicorum, necnon & Io. Canonicus similiter disputauerunt. Franciscus Cornelius Biragus commentarios, & quæstiones in libros de ortu, & interitu recens cōpinxit solidè, ac eleganter.

Logici recensentur, in totam logicam Ioan. de Magistris, Petrus Tataretus, & Nicolaus de Orbellis,

lis. In Scoti vniuersalia Constantius Sarnanus, Ioannes Anglicus, & Mauritius Hibernicus Antonius Andræas in Prædicamenta, libellum de sex principijs, & libros de interpretatione tùm exponendo, tùm discutiendo scripsit. Circa Analitica tamen Scotistę, vel nihil, vel parum præstitere, quod præcipuè agendum foret.

Controuersiarum scriptores, Theologicarum quidem est Ioan. Aragonius à Rada, qui viuens 1. sent. edidit, reliqui tres libri post eius mortem prælo dati sunt. Naturalium verò Philippus Faber Fauentinus in Theorematibus philosophiæ naturalis. His addo Paduanum de Grassis in Enchiridio scholastico, Scoti contradictiones apparentes exoluentem, quod ipsum Guidus Bartholuccius Assisias piæ stitit, tres, & quadraginta supra ducentas contradictiones Scoti sedans: id opus apud Ioan. & Andreā Zenarium 1589. est excusum.

Formalistæ ex fonte Scoticæ doctrinæ promanarunt, distinctionem formalem inter distinctionem realem, & rationis mediam vestigantes. Tractatus pertinet ad lib. 10. diuinorum, in quo agitur de eodem, & diuerso. Hac in re plurimum, & plurimi Scotistę contulerunt. Antonius Syrectus communi consensu author formalitatum appellatur. Scripserunt item formalitates Franc. de Mayronis, Petrus Thomas, Nicolaus Bonettus, Stephan. Burlifer, Antonius Trombeta, Laurentius Brisiensis, Philippus Faber, Petrus Aretinus, Io. du Douet proficuè satis, & Ioan. Vallonus, qui cæteris fusius in eo tractatu dilabitur.

In moralibus pauca scripsere Scotistæ. Scripsit tamen Tataretus in sex libros Ethicorum, quam breuissimè: sed Quæstiones morales aliquanto spatiosius; Enim verò subtilitatibus metaphysicis, & logicis abstracti ægrè moralibus applicantur.

Post

Post hos placet duos preclaros doctrinæ Subtilis professores adiungere, sed viuos: Tum quia & eorum eximia id requirit sapientia, tum etiam quia id iure gratitudinis præceptoribus meis debeo. Alter est Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Felix Centinus S. R. E. Card. Asculanus doctrina, & moribus vrbi, & orbi notissimus, qui naturalium, & supernaturalium veritatum cognitione ditatus cum Scotica subtilitate tantam integritatem memoriæ, siue natura, siue industria comparauit, vt integras Scoti, & Scotistarum columnas, mirandum relatu, adamussim in disputationibus ex tempore proferret. Alter est Adm. R. P. M. Ioan. Ferretus Regiensis, Illustriss. Card. Estensis Theologus, qui nostro tempore in Scoto clarè auditoribus imprimendo, & exprimendo, parem, quantum credo non habet. In his, & quãplurimis Scotiæ militię ducibus perpetim viuit, ac viuet nunquam inter moritura Scoti, & Scotistarum gloria, virtutum, & sapientię luminibus ornata. Non igitur Scotus est mortuus, cuius pars melior in cęlis (piè credo) viuit. Nomen in ęternum viuet.

F I N I S.

INDEX.

Epi-

Obe-

Indicis finis.

Imprim. Iacob. Terrag. Vic. Gen. Neap.
Franciscus de Claro Canon. deput.

2

APOLOGIAE
PRO
IOANNE DVNS SCOTO
DOCTORE SVBTILI.

LIBRI TRES.


In Ioannem Fridericum Matenesium.
In Abrahamum Bzouium Polonum.
In Paulum Iouium Nouocomensem.

AVTHORE
MATTHÆO FERCHIO VEGLENSE
Min. Conu. Sacræ Theolog. Doct. & in Prouincia S. Bonau. Ministro Prouinciali.



BONONIÆ 1620. & NEAPOLI
Apud Io. Dominicum Roncaliolum 1629.

SVPERIORVM PERMISSV.



[illegible] exceptem, atq; neutram in partem sub Scoto, aut contraria [illegible] vel opinione, vel affectu mancipatum; [illegible] philosophorum Aristot. in 1. de cælo contex. [illegible] sit arbitra [illegible] & summus Theologorum August. in 3. de Trin. c. 2. liberum correctorem desiderat, qui nec amore ducatur scribentis, nec odio. Hac spe de te concepta fidenter [illegible], de qua agitur, & cuius gratia, ac [illegible] ordinis [illegible] declarabo. Atque [illegible] oratio mea, quo tempore de B. Virgin. conceptione disceptatum est acerbius, fabula quædam de Ioannis Duns Scoti doctrina, & moribus, [illegible] morte est exorta [illegible], & ignoro [illegible] authores neque scio, neque si sciam facile [illegible]. Sed quoniam non [illegible] fuit, in plurimas excreuit falsitates, ut olim Ouidius [illegible]

Fama [illegible] peruenit ad aures
Detraxit [illegible] quæ veris addere falsa
Gaudet, & è minimo sua per [illegible] crescit.

Paulus Iouius illam vel [illegible], vel descriptam [illegible] stylo [illegible] veritatis [illegible] pro [illegible]

AD LECTOREM LIBERVM.



NE mireris, si te liberum, lector, exoptem, atq; neutram in partem pro Scoto, aut contra Scotum vel opinione, vel affectu mãcipatum; talem etenim summus philosopho rum Aristot. in 1. de cælo contex. 101. & in 3. Met. 1. contextu lectorem exquirit, qui sit arbiter, non aduersarius veritatis; talem & summus Theologorum August. in 3. de Trin. c. 1. liberum correctorem desiderat, qui nec amore ducatur scribentis, nec odio. Hac spe de te concepta fidenter exponam causam, de qua agitur, & cuius gratia; ac tandem rationen. ordinis, & styli à me ser uatam declarabo: Atque vt à primo proficiscatur oratio mea; quo tẽpore de B. Virgin. conceptione disceptatum est acerbiùs, fabula quædam de Ioannis Duns Scoti doctrina, & moribus, vita, & morte est exorta, grauis, & ignominiosa; cuius authores neque scio, neque si sciam facilè dixerim. Sed quoniam non statim oppressa fuit, in plurimas excreuit falsitates, vt olim Ouidius cecinit

Fama loquax peruenit ad aures
Deianira tuas, quæ veris addere falsa
Gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit.

Paulus Iouius illam vel nondum descriptam, vel descriptam malè, stylo verbis graui, at graui cum veritatis iactura scriptis dedit, auxit, ornauit; & pro ætatis nostræ conditione, quæ verborum cal amistris magis, quã veritatis lætatur simplicitate, quod

eleganter expressum erat, alta mente lectoribus impressum remansit. Hanc ob causam Pauli Iouij elogium de Ioanne Scoto longè, lateque per animos catholicorum, atq; hæreticorum persuasit, prout ex profugis Ioannes Balæus, & Ioan. Casus Oxoniensis, Angli: ex filijs Ecclesiæ, Abraham Bzouius Polonus, & Ioannes Fridericus Matenesius, alijq; eadem reculcantes commonstrant. Hæreticos autem in catholicum debacchantes conteptui habere par est: nam quo pacto ijs veritates de Scoto persuaseris, qui de Christo veritates abnegauerint? Laterem laues. f. Iouium nonnihil perstrinxere Petrus Rodulph. Tossin. in 3. lib. histor. seraph. relig. & Bartoleccius Assisias in Apologia Scoti syllabo præfixa: verum ij, neq; alijs accusandi, neq; nobis defendendi aditum præcluserunt: non alijs quidem, cum post ipsos Bzouius, & Matenesius Ioan. Scoti doctrinam, & mores notauerint; neque nobis ergò, quin nouis accusationibus nouas responsiones afferamus: vt falsa hæc opinio de pijssimo Doctore, integerrimo viro, sacerdote grauissimo, ac subtilissimo Theologo è Christianorum cordibus excindatur, quo Doctoris subtilis probatam doctrinam, mores integros in exemplum sumentes, ad authorem omnis boni Deum pede inoffenso decurrant.

Causam, quæ sit, audisti, nunc & finem mihi propositum audi: Is est Ecclesiæ Christianæ vtilitas, Franciscanæ Religionis honos, quibus adde, si placet, famam innocentis viri: Quis, quæso, Christianorum doctrinam amplecteretur, de Christo tractantem, quæ praua sit, & à prauo authore? Praua accusatur doctrina subtilis, quæ Christi dogmatibus illudat, figmentis obumbret, sacrarum rerum fidem cōfundat, captiosè, atq; proteruè procedat;

Prauus

Prauus dicitur Doctor subtilis, qui S. Thomæ insectator fuerit, dubitabundus de fide quæsierit, lites immortales inter fratres seuerit, crimen publicũ, aut occultum perpetrauerit, à Deo atq; hominib' in morte sit desert', & capite eliso damnãdus perierit. Verum quam præclarè Doct. subt. scholasticam Theologiam illustrauerit, quam piè vixerit, dicant alieni, vt Abbas Trithemius, Gulielmus Eysengrenius, Antonius Possevinus. Ego silentio inuoluã, ne nostra laudare videar, quamuis laudem facilè superent. Iussit Apostolorum Princeps in 1. Epist. c. 3. Vt essemus parati omni poscenti reddere rationem de ea, quæ in nobis est fide, & spe; sed Doctor subtilis rationibus efficacissimis armauit Theologiam. Scripsit Paulus ad Titũ c. 1. Episcopum oportere esse potentem exhortari in doctrina sana, & eos, qui cõtradicunt arguere; atqui argumenta subtilia, & salubria documenta subministrabit Doctor subtilis, quem exacerbatus Ioãnes Balæus vocauit propterea, Papicolarum Herculẽ. Ne igitur S. R. E. tanta doctrina priuetur, tanto exemplo, quanta Scotus, & Scotistæ attulerunt; arbitratus sum esse è re Christiana Scoti defensionem suscipere. Iam verò & gloriam parentum, quã tueri oporteat, Romani docent, qui Valerio Max. lib. 2. testante in conuiuijs maiorum præclara gesta referebãt, ad excitandos filios, vt illa imitarentur.

Virtus occulta vni prodest, famigerata omnibus, prout Horatius canit

Paulùm sepultæ distat inertiæ
Celata virtus.

Quapropter S. Augustinus sedulam bonæ famæ curam commendauit, bonæ famæ neglectum reprehẽdit, in lib. de bono viduitatis, & habetur 11. q.

3. c.

3. c. *Non sunt audiendi siue viri sancti, siue fœminæ, qui, quando reprehenduntur in aliqua negligentia per quã fit, vt in malam veniant suspicionem, vnde vitam suam longè abesse sciunt, dicunt, coram Deo sufficere sibi cõsciẽtiam: æstimationem hominum non solum impudenter, verum etiam crudeliter contemnentes: cum occidant animas aliorum siue blasphemantium viam Dei, quibus secundum suspicionem quasi turpis, quæ casta est, displicet vita sanctorum: vel etiam cum accusatione imitantiũ non quod videt, sed ꝙ putant.* Proinde *quisquis à criminibus flagitiorum, atq; facinorũ vitam suam custodit, sibi benefacit: Quisquis autem etiam famam, & in alijs est misericors. Nobis enim necessaria est vita nostra, alijs fama nostra.* Diuinè igitur Deus admonet Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni. Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum.* Quamobrem sæuius lædunt, qui famam, quam qui thesauros surripiunt, quia pretiosior est fama thesauris. Præterea qui mortuus est corpore, fama viuit, quare qui hominem occidit, crudelis, qui nomen interimit, crudelior esse videtur; quia ille mortalem, hic immortalem vitam destruit: ille luctatur cum homine, hic nec homini, nec nomini parcit. Cic. in orat. pro Caio Rabirio. *Neq; quisquam,* inquit, *nostrum in Republicæ periculis cum laude, ac virtute versatur, quin spe posteritatis, fructuq; ducatur. Itaq; cum multis alijs de causis virorum bonorum mentes diuinæ mihi, atq; æternæ videntur esse, tum maximè quod optimi, & sapientissimi cuiusq; animus ita præsentit in posterum, vt nihil nisi sempiternum spectare videatur. Quapropter equidem & C. Marij, & cæterorum virorum sapientissimorum, ac fortissimorũ ciuium mentes, quæ mihi videntur ex hominũ vita ad Deorum*

religio-

religionem, & sanctimoniam demigrasse, testor, me pro illorum fama, gloria, memoria non secus, ac pro patrijs fanis, atq; delubris propugnandum putare; ac si pro illorum laude mihi arma capienda essent, non minus strenuè caperem, quam illi pro communi salute cœperunt. Etenim, Quirites, exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit, immensum gloriæ. Quare si eos, qui iam de vita discesserunt, ornabimus: iustiorem nobis mortis cōditionem relinquemus. Hucusq; Cicero. Quibus nil elegantius, aut grauius dici potest, gentilitate dempta. Itaq; nobis illud in primis curandum est, ne si Scoto, & Scotistis pulcherrimum fuit, eximiam sapientiæ, ac probitatis gloriam nobis relinquere, turpissimum item nobis sit, quod accepimus tueri, & conseruare non velle. Si ergo, amice lector, tuam famam, ac tuorum, & ante mortem, & post mortem defendi velles, ne mihi succenseas, si Scoti famam defendere velim, id quod velle omnes debent.

Postremò rationem ordinis, atq; tractationis afferam. Cùm enim Reuerendiss. P. Generalis, me comite, Coloniam Agrippinam, vbi Scotus defunctꝰ iacet, Germaniæ vrbem inclytam visitatum profectus esset; oblatus est mihi liber historiarum Matenesij, in quo dum obseruarem maximam differentiam ab antiquitatum monumentis, quæ illic de Scoto conseruantur, non potui non vehementer demirari, Matenesiũ plus fidei adhibuisse nouis annalibus Bzouij, quàm antiquitatum memorijs: nec enim in animum inducere possum, virum Coloniensem Coloniæ commorantem Doctoris subtilis sepulcrum nunquam inspexisse. Scripsi propterea primò in Matenesium; quoniam plus ille nobis, quàm quiuis alius obesset: deinde Bzouium


consului,

consului, & ne authoritate sua alium aliquem secum traheret fraternè ad ipsum scripsi. Tertiò, quia Bzouius citauit Iouium, qui neminem authorem citat, & à Petro Rodulphio, ac Bartoluccio author asseritur Scoticæ accusationis, quam apud nullum authorem reperi: in ipsum quoq; Iouium calamum direxi; & pro ratione temporis, quo libri conscripti sunt seiunctim, eos ordinatos in vnum voluminis corpus coniungo. Titulum Apologiæ, quo sancti Athanasius, & Hieronymus vsi sunt, assumpsi, qui significat responsionem, defensionem, excusationem, quas mihi propositas habeo. Inculpatam tutelam quis neget? Quare & apologeticum caracterem, qui igneus esse solet, aqueum reddidi, scilicet, vt stylum depellerem, non impellerem: & cæteros demissa oratione ad veritatem vocare, nec tamen aduersarios ad iracundiam prouocarem: monente Heraclito apud Diog. Laërt. lib. 9. Iniuriam oportere extinguere magis, quàm incendium. Magni sunt nominis Iouius, Bzouius, Matenesius: fateor; at non quis dicat, sed quid dicat, Socrates attendere iussit. Sanctius est amicis præponere veritatem. Eam puto me plerunque attigisse, tu iudex esto. Vale sospes, probus, beatus, mihique hæc vicissim comprecare.

APOLOGIAE PRO IOANNE DVNS SCOTO DOCTORE SVBTILI.

IN IOANNEM FRIDERICVM Matenesium Coloniensem.

AVCTORE Matthæo Ferchio Veglēsi, Præfatio.



QVÆ tria in omnibus, & in historiarum Scriptore pręsertim plurimum possunt, ea in te, Ioannes Friderice Matenesi, felici nexu concurrunt: viri authoritas, doctrinæ præstantia, facultasq; rei, de qua agitur, cognoscendæ. Nam in eo libro, quem hoc titulo prænotasti: *Historia Ecclesiastica ex Annalibus A. R. P. Abrahami Bzouij Poloni Sacræ Theologiæ Doctoris, aliorumq; virorum illustrium Ecclesiasticis, historicisque monumentis Tomus Tertius. Authore R.D. Ioanne Friderico Matenesio Sacræ Theologiæ Licen. Canon. & Pastor. Agrippinen. S. R. E. Proton. Histor. Græcæ linguæ professore ordinario*: cuncta vel ex inscriptione sola lucidè patent, Authoritas quidem, in Pastoris Agrippinensis, & S. R. E. Protonot. titulo: doctrina, in Sacræ Theologiæ, historiæ, atque Græcæ linguæ professione: facultas denique cognoscendi, quod ad rem attinet, acta & vi- I.

tæ, & mortis Ioannis Duns Scoti, ex inhabitatione præclarissimæ huius Agrippinensis Coloniæ, in qua Canon. Pastor, & Professor es; cuius vrbis monumenta tùm antiqua, tùm moderna probè nota, & perspecta habere valuisti. Quamobrem quæcunq; de Ioanne Scoto scripseris, ea siue in bonum, siue in malū ingentem sibi fidem sunt comparatura: ob idque si malè sonent, præsentaneo remedio propulsanda.

II. Hanc ob causam autumo Patres nostros neglexisse Pauli Iouij aduersus Doctorem subtilem testimonium, quòd illum in Italia scribentem, regione ab Vbiorum Colonia dissitum, ducentis annis Ioanne Dunsio posteriorem, veritatem è latebris antiquitatis eruere potuisse non crediderint; nec eos fefellit iudicium, si quidem propterea Iouius eorum, quæ narrat, circunstantias loci, ac temporis ad historiæ fidem quàm maximè optatas, non protulerit. At quoniam Abraham Bzouius vulnus refricuit, vir etiam religione coniunctus Scoto, Dominicanus nimirum Franciscano, commenta Iouij aliquid fidei acquirere visa sunt. Sed & Bzouius, tametsi temporis documenta tradere conatus sit; adhuc ansam dubitandi reliquisse videbatur, mutilamq; historiæ fabulosæ narrationem dimisisse, quia loci distantia præpeditus, ne locum quidem apponere, vel agnoscere potuerat. Tandem tu dolorem dolori addis, & in scriptione de Scoto loci, atque temporis defectum imples: loci, quoniam Coloniæ viuis, vbi Scotus est mortuus: temporis, quia iunior prisca historicorum momumenta, tui operis principio proclamante, perscrutatus es. Occurrendum est malo, ne vltra serpat. Profectò si in me tres illæ, quæ in te collucent, dotes, vel mediocriter essent, non quærerer. Verùm cū ego neque Coloniæ morer, quamuis Coloniæ nunc scribam, neque magna sim authoritate, atq; ingenio, & eloquentia parum possum; impari sanè pugna

cum

cum aduersario instructissimo contendam. Contendam tamen, nam etsi magnitudo periculi, ne causa cadam, timorem incutit: veritatis interim robore animus recreatur. Duæ verò causæ me in salebroso hoc stadio vehementer corroborant, motrix, & finis; III.
motrix est obedientia, neque enim meo motu cieor, sed Reuerendissimi Patris Generalis mei iussu, cui obtemperare teneor ex edicto B. P. Francisci. *Omnes fratres vnum de fratribus teneantur semper habere Generalem Ministrum, & seruus totius fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire.* Finis, quo allicior, publicum commodum est, non priuatum solius Ioannis Scoti: S. Frãc. in Reg. cap. 8.
quod, si vel solum intuerer, quid tandem est in te, vt possis offendere, aut in Scoto, vt non possit defendi? Vir probus es? & Scotus. Christi fidelis es? & Scotus. Sacris addictus es? & Scotus. Theologiæ professor es? & Scotus. Hoc interest quod tu viuus es, qui lædere possis, Scotus mortuus non potest; at si offendi ab alio potest, quid ni possit etiam ab alio defendi? Certe pietati, ac æquitati magis consonum est subleuandis hominibus; præsertim impotentibus vacare, quàm accusandis, & opprimendis. Atqui ego pro meo instituto defendo multos viuos, multos mortuos, & eos clarissimos quidé, ac probatissimos; toto tum Scotistarum cœtum; nam in munimine capitis totius corporis præsidium est constitutum, & in gymnasiarchæ gloria, & honore totius gymnasij decus consistit, quibus turpe foret sequi doctorem, vel ante mortem in fide Catholica dubium, vel in morte ferum aduersus semetipsum: talem verò nobis (Matenesi) Scotum effingis. Affulget interim illa cunctorum mortaliũ spes vnica, & seruorũ suorũ in procelloso sæculi præsentis pelago Stella ductrix, anchora fida, tranquillus portus, Mater, Virgo, Maria: ipsa nanq; pollicita est (quæ immensa est eius liberalitas) eos, qui se illustrassent, perennem felicitatem assecu- IV.

turos, dicens. *Qui operantur in me, non peccabunt, qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Cùm igitur Ioannes Scotus gloriosè, atque robustè docendo, disputando, scribendo, & per se ipsum, & per suæ disciplinæ filios Dei parentis animationem immaculatam fuisse docuerit; ac proinde in eam operatus sit, ipsam elucidauerit (Solem videlicet candela) iustũ est, & vitam Scoti tantæ protectricis ope, à peccatis, vel seruatam, vel ereptam: & Scoti exanimationem pretiosa morte cohonestatam fuisse, credere: vt qui B. Virginis deuotus initia illustrauerit, finẽ assequatur illustrem. Tantæ Reginæ patrocinio confisus, Mariæ nomine inuocato, neque tuum robur Matenesi, neque meæ periculum imbecillitatis pertimesco. Age iam, & quæ de Scoto in tertio tomo tuæ historiæ sub anno 1294. conscripsisti, perlegamus.

Eccl. 25

MATENESIVS.

Iesu Christi annus 1294.

Cælestini V. an. 1. Adolphi Regis Rom. an. 3.

V. HOC anno volens nolens ex hac vita migrauit Ioannes Duncius Scotus, subtilis quidem Ordinis Fratrum Minorum Doctor; sed adeo tenebrosus, vt Scotinos passim diceretur. Et cum omnia in dubium vocaret, mors quoque eius in dubium vocata est. Apoplexia enim correptus exanimem putantes, nimis festinato funere ad sepulchrum in Choro sui Ordinis deferunt: qui dein morbi violentia cessante ad se reuersus pulsato frustra sepulchro, & miserabili mugitu edito, elisoq; tandem capite, perijt. Coloniæ. Cui aliquis Poetarum, &c.

Quod nulli vnquam hominum accidit, Viator,
Hic Scotus iaceo semel sepultus,
Et bis mortuus: omnibus Sophistis
Argutus magis, atque captiosus.

Lato-

Latomus addidit aliud.

Quacunque humani fuerant, iurisque sacrati
In dubium veniunt cuncta, vocante Scoto.
Quid? Quod & in dubium illius sit vita vocata
Morte illum simili ludificante Stropha.
Cum non ante virum vita iugularit adempta.
Quàm viuus tumulo conditus ille foret.

VEGLENSIS.

VI.

Hactenus tua scripta, Matenesi, quibus Ioannis Scoti scripta nunquam satis laudata laceras, vitam nullo crimine notatam inficis, mortem atroci facinore vel Scoto, vel religiosis sui ordinis; immò (ne vllis tuo parceres calamo) vtrisque imposito maculas: nam Scotum sese occidisse, fratres viuum sepelisse non obscurè tradis. Profectò prudentis historici est, nihil falsum de re præsenti, nihil de transacta nō probatum ponere, tum præcipuè, cum de excelsis viris probra, & eis indigna, & ex se vix credibilia proferuntur. Quæ igitur ex tuo libro lecta sunt, an vera, & probata sint, sedulò disquiramus, de veritate duntaxat dictorum, non de authoritate nostra solliciti.

CAP. I.

Quo anno, Pontifice, Imperatore Ioannes Duns vita functus, traditur.

PRimo quid ais, Matenesi? quo Christi anno Ioannes Scotus Doct. subtil. obijt? Anno Christi 1294. Quo Pontifice? Cælestino V. Quo Romanorum Rege? Adolpho. Tria quidem responsa sunt, sed prorsus falsa sunt; siquidem Antonius Posseuinus in Apparatu sacro Ioannem Duns anno 1308. mortuum tradit. VII.

Petrus Rodulph. Tossinian. in 3. Lib. histor. Seraph. anno 1308.
Franciscus Gonzaga in libr. de Origine Francisc. par. 1. anno 1308.
Sixtus Senensis in Bibliotheco. tomo 1. libro 4. anno 1308.
Guilem. Eysengrein in Catalogo testium. anno 1308.
Iacob. Gualter. in tab. Chronograph. in 13. sæculo anno 1308.
Ioan. Rioche in compend. temp. anno 1308.
Ioan. Trithem. Abbas in lib. de Scriptor. anno 1308.
Genebrard. lib. 4. Chronograph. anno 1308.
Girardus Mercator in Atlante, de Scotia, anno 1308.
Bellarminus in lib. de Scriptor. (correcto Codice) anno 1308.
Chronica Colonien. Germanieè impressa, anno 1308.
Denique quotquot ante Bzouium, & Matenesium legi, aut Scoticæ mortis tempus non afferunt, quemadmodum Iouius; aut incertum relinquunt, vti Volaterranus; aut in annum 1308. referunt: vt sæpenumero miratus sim duos hosce accuratos alioqui historicos in illam sententiam incidisse.

VIII. Secundo ex publicis monumentis reuincam, Ioannem Dunsium non 1264. morti cessisse, sed 1308. quorum spectatissimum est epitaphium æri incisum duobus vltimis carminibus concinens.

Anno Milleno ter CCC. cumq; adderet octo
Postremum clausit letho agitnnte diem.

Deinde à Sepulcro Scoti versus altare summum distat ferè pedem geometricum gradus lapideus, in quo literæ crassæ, antiquitate, ascensu, ac descensu partim attritæ, at lectu adhuc faciles hæ sunt.

Obijt Fr. Ioannes Scotus Sacræ Thæologiæ Doctor subtilis nominatus anno 1308.

Præterea. In altari sacrarij ferrea catena est alligatus liber membranaceus satis antiquus omnia nomina-

tùm religioſorum, tùm benefactorum ſæcularium, pro quibus propitiatorium Miſſæ ſacrificium offerendum eſt. continens, quo in libro ſub die octaua Nouembris legitur.

Obijt Fr. Ioannes Scotus Sacræ Theologiæ Doctor eximius, Lector Colonienſis. Mox ſubditur.

Qui obijt anno Domini 1308. ſexto idus Nouembris.

Vltimo. In capitulo clauſtri tres tabulas nomina fratrum defunctorum in hoc noſtro Conuentu Colonien. continentes reperies; quarum prima, & antiquiſſima refert iſta.

R. P, Fr. Ioannes Scotus Sacræ Theologiæ profeſſor, Doctor ſubtilis nominatus, quondam lector Coloniæ, qui obijt anno 1308. ſexto Idus Nuemb.

Iam in aperto eſt & libros, & lapides, & æra primũ dictum refellere; quæ ſequuntur, etiam reliqua duo redarguent.

Nunc oſtendam, Ioannem Scotum non obijſſe ſub Cæleſtino V. quoniam poſt Cæleſtinum Pontificatu ſe abdicantem, eodem anno 1294. die 24. Decembris Bonifacius Octauus Petri ſucceſſor deſignatus eſt. Et Scotus in 4. Sentent. diſt. 6. quæſt. 8. Bonifacium Octauum nominat. Bonifacio ſuffectus eſt anno 1302 die prima Nouembris Benedictus XI. quem Scotus in 4. diſtin. 25. quæſt. 1. commemorat. Poſt Benedictum anno 1304. Clemens Quintus electus fuit, ſub quo Scotus fato ceſſit. Vnam de Imperatore periodum appono aliò migraturus. Adolphum interemptum vel cum Bzouio anno 1299. vel cum alijs 1298. ſentis, quantum colligo ex tuo libro. Scotus autẽ exijt è vita anno 1308. qui annus Alberto vltimus, Henrico Lutzemburgenſi primus fuit, ex Trithemio in Chron. Hirſaug. ad annum 1308. Conferamus dicta. Anno 1308. Ioannes Duns migrauit, tu 1294. migraſſe doces. Clemente V. Pontifice moritur, ſecundum te Cæleſtino V. Alberto, vel Henrico regnanti-

bus, vt opinor ego, Adolpho Rege, te arbitro. Vter noſtrum verius, candidi iudicabunt Lectores.

X. At reſpondentem audio: te illud tempus annalium Abrahami fide, non tua poſuiſſe. Inanis fuga; multitudo peccantium non minuit crimen. Abraham, qui Coloniæ non erat, publica ſaltē teſtimonia ſcrutari non poterat; te autem quid impediuit? Sed aliud eſt collectoris officium, aliud authoris; Si nihil addidiſſes de tuo, iure eximereris. Collector ſuperflua demit, neceſſaria ſummatim perſtringit, aliorum affert ſenſa, non propria. Id an præſtiteris, rimare. Tu addere, tu minuere, tu corrigere ſoles. Addidiſti Bzouio Coloniam, Eccleſiā, Chorum. Quid ſi Bzouius putauit Scotum in Scotia, vel Gallia ſepultum? An non potuit errare in loco, qui pro humana imbecillitate in tempore falſus? Demiſti porrò Scoti magiſtrum Alexandrum Alenſem, quò Scoti gloriā de tanto præceptore, tuo conſilio, fraudares. Correxiſti, quum ad annum 1298. Chronologos aduerſari authori annaliū obſeruas in Adolphi nece. Quæcunq; igitur de Scoto abs te ſcripta ſunt, authoritate ſcriptoris, non libertate compilatoris agnoſco ſcripta. Hucuſq; tres aſſertiones cribrauimus, pergamus ad reliquas.

CAP. II.

Ioannis Scoti cognomen, vita probata, mors libera oſtenduntur.

Matenesius. *Hoc anno volens nolens ex hac vita migrauit Io. Duacius Scotus.*

VEGLENSIS.

XI. SVbſiſte iam: nam hæc clauſula de re nos, deque nomine fallis: de re, quia Scotum inuitum emigraſſe dicis: de nomine, quia eundem Duacium appellas. Itaque ſingulis penè verbis premior, Do-

ctorem subtilem Ioannem Scotum cognomine *Duns:* siuè à patria. siuè à cognatione mutuato, decorari. omnium penè scriptorũ concordat authoritas. Quinimmò & Abraham Bzouius cognomen Scoti, barbarè Duns, latinè Dunsium, scitè formauit: tu, quæ tua authoritas est, corrupto vocabulo *Duacium* nominasti. Satis de voce, nunc de re agitur.

Disputant Theologi, num hominis cogitatus, & voluntates snapte natura angelus cognoscere valeat; & quidem de potestate dissidium; de lege diuina, & facto secundum legem concordia viget; ne angelum quidem posse. Nunc effer te, Matenesi, & angelo maior effectus, secreta conscientiæ Scoti, liberos actus illius discerne, penetra, insinua: namquod angelo, & homini negatum, tibi concessum. Duo humanorum arcana cordium agnoscunt Deus, & homo: Deus omnium, homo vnus sui ipsius. Audi 1. Reg. 16. *Homo videat ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor.* & Ierem. 17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probãs renes.* De homine inquit Apost. 1. Corint. 3. *Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Quapropter si Scoti voluntatem nosti, aut Deus es, aut Scotus; Scoti hosti es, non Scotus: Ergo Deus eris. At neque Deus, neque Scotus: sed ex alterutrius reuelatione occulta scis. si Dei reuelatione, edissere: nã diuinas reuelationes veneramur; Si Scoti, prode: an tibi Scoti anima apparuerit, an tu Scoti morti interfueris, an tãdẽ qui aderãt dixerint, aut scripserint. Vbi tales probationes, testes, tabulas, nactus sis: prodne tantũ, & cedo, vnaq; tecũ clamo; Voluit, noluit Scotus: facile fingere, difficile fictionem ne deprehendatur, adornare. An vulgum sequeris? non putabam, te vulgarem esse. sed vulgo fertur: Scotum disputasse cum Alberto magno victoriam reportasse, campanam Prædicatorum lucratum fuisse, ob idque XII.

Sco-

Scotum ſub campana ſepultum. Item ante illam diſputationem Deiparam Scoto victoriam promiſiſſe, mox diſputanti Scoto ſudorem abſterſiſſe, & alia multa, quæ figmenta eſſe vir cordatus iudicet.

XIII. Annecto & iſta. Omne peccatum in Scoto vel ex præcepto, vel ex voto violatis oriri potuit, quod mortale eſſet; cuius verò præcepti, cuius voti effregit Scotus iura, dum viueret? ne fingere quidem licet. Sed qui rectè viuit, mortem nō formidat. Intonat B. Gregorius Homil. 13. in Euangel. *Aperire iudici pulſanti non vult qui exire de corpore trepidat: & videre eum quē contempſiſſe ſe meminit, iudicem formidat. Qui autem de ſua ſpe, & operatione ſecurus eſt, pulſanti confeſtim aperit, quia lætus iudicem ſuſtinet.* Verum ſi Doctor ſubtilis delictum admiſit, qualenam? apertumne, an occultū? Si apertum, cur à Bzouio & Matenеſio non narratū? cur non commemoratum ab alijs tot, qui de Scoto meminerunt, ſcriptoribus? Si occultum, quæro, qui ſcias? Nam vltimū illud, quo deſperabundus, dicitur ſcelus perpetraſſe, vix primū eſſe dederim. Ex virtute in virtutem ſcandit, ex abyſſo in abyſſum prolabitur humana mortalitas, ſed nunc vitæ noxas rimamur,

XIIII. publicas, occultas, veras, vel falſas non mortis. Qui peccatum occultum, & verum alterius detegit, peccat (vt Nauar. in Manual. cap. 18. nu. 26. & ſequentibus docet, neque vlla quantum capio, exceptio in Io. Dunſium locum habet) atque ad reſtitutionem tenetur diuino iure famā proximi ſartam tectam ſeruando. Si falſum crimen obijcit, amplius peccat, quia & famam lædit, & calumniam componit. Ego quomodo ſeſe Scotus mortis momento habuerit, ignoro: ſed ex vita irreprehenſa benè habuiſſe conijcio. Demus ergo benè habuiſſe, tunc & verum opinor, & ſine culpa; demus malè habuiſſe, fallor vtique, at ſine culpa; iuxta Scot. 4 Sentet. d. 15. q. 4 §. *De ſecundo* aſſeuerantem *Quilibet tenendus eſt bonus, donec probetur contrariū:*

iuxta

iuxta illud extra scrutinio in ordine faciendo ca. Vnico. Humana fragilitas illum, quem indignum esse non nouit, dignum debeat æstimare, Meam vero de Ioanne Scoto opinionem triplici base niti docebo, educatione, doctrina, testibus: in quibus cum multa bona, nulla mala offenderim, plane temerarium mihi esset oppositũ iudicare, iniuriosum asserere. De educatione quoad religionem, non quoad sæculum loquitur Bartolom. de Pisis in lib. conformitatum, conformitate 11. car. 112. facie 1. col. 2. in fine. *in hac*, inquit, *Anglia prouincia fratres semper fuerunt, & sunt ad diuinum officiũ, missas, & alias ordinationes nostri ordinis specialiter ordinati: propter quæ Deus auxit eos numero, bonis temporalibus, & scientia. Habuit enim magnam copiam semper magistrorum, & proborum. De hac siquidem prouincia fuit magister Ioannes Scotus Doctor subtilis, cuius memoria, quo ad sufficientiam, erit perpetua, &c.* quo testimonio tum probitatem illorum, à quibus in religione eruditus est Scotus, tum eundem tanquam præmium probitatis eorum à Deo datum asseruit. XV.

Ex Scoti doctrina pauca ad proprios mores spectantia promam, nam vir modestissimus submisse de se loqui, ne humilitatem ostentaret, altè, ne superbiam ostenderet, noluit. aliqua tamen vtcunque eruuntur. In 3. distin. 20. quæst. 1. §. *Tunc ad quæstionem* ait. *Tamen de facto sui gratia suam passionem ordinauit, & obtulit patri pro nobis, & ideò multum tenemur ei; ex quo enim aliter potuisset homo redimi, & tamen ex sua libera volnntate sic redemit, multũ ei tenemur, & amplius quàm si sic necessariò, & non aliter potuissemus fuisse redempti. Ideò ad alliciendum nos ad amorem suum, vt credo, hoc præcipuè fecit*. Cognoscis arbitror agnitionem, & feruorē Doctoris subtilis erga Christum sese nulla necessitate, sed libera voluntate acerbissimis passionibus exponentem. XVI.

Circa diuinorum obseruantiam præceptorum, XVII.

quàm

quàm districti fuerit iudicij Scotus, in 4. distinctio. 50. q. 1. & 2. constat. Quo loco astruit non licere dãnato velle non esse ad pænam vitandam, propterea quod eligere proprium non esse est contra præceptum diuinum; pati pœnam sempiternam, secundum præceptum: Annihilationem autem pati, non modò licere, immò & debere potius, quàm culpam agere, & creatorem offendere. Iam ne vides, quàm à prauitate peccati abhorreat Scotus, qui mallet tremendũ gehennæ dolorem; aut quod grauius multo est, mortalis suæ, atque immortalis substantiæ in nihilum vsque resolutionem sustinere, quàm teterrimum culpæ horrorem, aut fœditatem subire: nam & culpam censuit esse maximam pænam naturæ intellectualis in 3. dist. q. 1. Tam efferatè detestabatur malum, quàm constanter, ac suauiter ad bonum amplexandum hortatur omnes; sed ipsũ audiamus in 4. d. 22. q. 1. *Audiui de viro prius valde perfecto, & postea profundissimè lapso, cum propter facinora sua esset morti adiudicatus, misericordissimè visitato; perfectissima pœnitentia sibi subitò inspirata est. Istud benè debet allicere quemlibet ad semper meritoriè agendum pro viribus, quia siue mansurus, siue lapsurus sit, non erunt ista in obliuione totaliter coram Deo.*

XVIII. Quod attinet ad vota obedientiæ, paupertatis, & castitatis, intentio Scoti ex Scoticis assertis nõ obscurè elicitur; quorum aliqua, vt tibi morem geram, non grauabor apponere. De obedientia in 4. d. 3. q. 4. art. 1. tradit diuinum præceptum, aut consilium contemnere non licere. *Secus est de humano, etiam loquendo de consilio, seu præcepto hominis superioris, siue Prælati; licet enim tàm præceptum, quàm consilium alicuius superioris contemnere, idest, irrationabile, & infructuosum iudicare: sed non licet dum est Prælatus, contemnere non obseruando. Quia dicitur Matt. 23: Super cathedram Moysi sederunt, &c. Istud de contemptu consilij, vel præcepti superioris probatur, quia non tenetur necessariò habere falsam opinionem de suo superiore;*

riore; sed monitio eius, vel præceptum potest in se esse irrationabile, & instructuosum: & rationabiliter, & vtiliter tunc laborandum est ad eius reuocationem, vel amotionem talis Prælati fatuè præcipientis: ergo non tenetur subditus reputare præceptum eius tanquam rationabile sed potest oppositum reputare sicut est, & sic contemnere non approbando. Hinc Scoti mens apparet candidissima, quæ neque in scientia errorem, neq; in opere inobedientiam admittit; concedit intellectui, ne approbet tanquam rationale, quod irrationale est: sed negat operatiuè virtuti non obsequi præcepto superioris, quamuis irrationali.

De paupertate ibidem. *Vnde videant mordentes paupertatem Euangelicam, ne (cum nolint obseruare, quia non est necessarium) contemnant, quia tales contemnentes, vel parui pendentes contemnunt Christum, qui hanc suasit obseruare tanquam meritoriam, & vtilem ad vitam æternam, vt habetur in lib. 6. de Verb. significat.* XIX.
Idem in 4. d. 15. q. 2. *Propter defectum secundi non potest quis donare pecuniam Fratri Minori, quia non vult esse dominus.*

De castitate in 4. distinct. 42. q. 1. in calce. *Communitas Christianorum vtitur matrimonio, per cuius vsum multiplicatur populus Christianus; & ideo sic ordinari debet, vt in eius contractu, & vsu vtemur ea, quæ obuiant charitati siue in Deum, siue in proximum: & seruanda sunt, quæ congruunt honestati: vt sic honestum matrimonium Christianorum congruè significet illam benedictam coniunctionem Christi, & Ecclesiæ, de qua dicit Apostolus: Sacramentum hoc magnum est, dico autem in Christo, & Ecclesia; quæ coniunctio nunc est per fidem, & aliqualem dilectionem: sed in patria erit per visionem, & perfectam fruitionem sponsæ non habentis maculam, neq; rugam ad sponsum speciosum præ filijs hominum, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Hæc ille. XX.

Quis hic insignis non cernit candorem castimoniæ? quis non aculeos amantis illum speciosum, non mortalia quæuis? Benedicta Anima Scoti, quæ perpetim anhelabat ad amorem Dei flagrantem. In quonam ad aures Dunsij beatitas nostra collocatur; nisi in Dei amore? Primas amori cedit; cuius cor amoris igneo potentissimo iaculo cæsus. Strenuus amoris miles, vexillifer charitatis, trophæum Diuinæ dilectionis Ioannes Scotus: & eum cogitaueris non fuisse dicturum: Cupio dissolui, & esse cum Christo?

XXI. Post educationem, atque doctrinam, testes in medium adducere operæ pretium est: Duos autem adducam alterum publicum, alterum priuatum. Publicum testimonium tabella, olim ad sepulchrum suspensa, nunc in Bibliotheca Franciscanorum conseruata, cuius Tossinian. in lib. 3. Histor. Seraph. religmeminit, perhibet his versibus.

Huic humilis casto Francisci cordula renes
Strinxit, erat sapiens, presbyter officio.
Feruebat studio, nulli virtute secundus:
Quod didicit, totum mox alios docuit.

Ex his duo Scoti epitheta fulgent; quòd nedum fide Christianus esset; verum etiam instituto Franciscanus, & officio presbyter. Fuit autem regularis illo æuo, quo Minorum institutum deflectens, fuerat per D. Bonauenturam erectum; quo plurimum in Anglia, in Gallia, in Germania floreret religio: quo plurimi, & sanctissimi, & doctissimi viri ordinem illustrantes promicabant, inter quos facilis conspectu fuisset, si fuisset vlla in Scoto macula. Sacerdotium etiam quanta cum pietate, & deuotione exercuerit, non extortè deducitur ex 4. dist. 13. quæst. 2. tota, atq; d. 8. q. 1. dum ait. *Congruum est, Christum esse nobiscum in tali signo sensibili, vt magis excitetur quilibet ad reuerentiam, & deuotionem ad Christum; & hoc patet de*

facto, quòd quasi omnis deuotio in Ecclesia est in ordine ad istud Sacramentum: propter hoc enim Clericus cum maiori diligentia persoluit Officium Diuinum in ordine ad Missam: propter hoc etiam populus deuotius audit Missam, quàm aliquod aliud officium Ecclesiasticum: propter hoc etiam singuli cum maiori diligentia confitentur, quando intendunt secundum ordinem Ecclesiæ saltem semel in anno communicare. Si verò perconteris, vnde nouerim hunc Christianum, regularem, Sacerdotem nullum tulisse næuum? Proferam testem omni exceptione maiorem Reuerendissimum Generalem Confaluum Io: Scoto æqualem, qui apud Tossinian. loc. cit. Guardianum Parisiensem affatur. *Dilectum in Christo Patrem Ioannem Scotum, de cuis vita laudabili, scientia excellenti, ingenioq; subtilissimo alijsq; conditionibus suis partim experientia longa, partim fama, quæ vbiq; diuulgata est, ibformatus sum ad plenum*, &c.

Reuertor ad carmina prædicta. In ijs rutilat castitas corporis, cuius gratia renibus accinctus docetur: rutilat sapientia mentis, in quam studio feruentissimus incubuit: rutilat charitas affectus, quia sapientiam sine fictione didicit, & sine inuidia proximis verbo, & scripto liberalissimè communicauit: rutilat virtutum chorus, cum nulli secundus virtute per hyperbolem dicitur: rutilat omnium fundamentum virtutum humilitas, dum humilis Francisci imitator, vel humili corda cinctus canitur. Qui autem se humiliat exaltabitur. XXII.

Id quod luce clarius in Ioanne nostro cõspicitur. Quoniam eodem sæculo, quo Iouius calami mucrone, atramento re vera atro, Doctorem subtilem respersit, doctrinam Scoticam perstrinxit, corpus Dunsij vexauit, Deus iustus, & misericors, & doctrinam, & ossa Scoti mirabiliter eleuauit. Siquidem tum ortus est Franciscus Lychetus omnium, qui commentarios in Doctorem subtilem scripserint, præcellentissi- XXIII.

lentiſſimus: ortus eſt Petrus Tartaretus clariſſimus tùm in Philoſophia, tùm in Theologia Scoti elucidator: Angelus Vulpes apulus magnæ Scoti ſummæ cõpilator,& cõmentator egregius: Philippus Faber Scoto addictiſſimus,& in theorematibus philoſophicis, & in cõmentarijs Theologicis: Iacobus Bargius & Paulus Vigerius libri primi Subtiliũ ſentẽtiarum declaratores: Ioãnes Rada controuerſiarũ agitator Scoticarũ, Ioſephus Angles florũ Dunſianorum collector, Melchior Flauius reſolutionũ Scoti ſcriptor: Antonius de Fantis Medicus, & Hieronymus de Ferrarijs Dominicanus Scotiſtæ tabularum Scoti textores. Petrus Rodulphius Toſſinian. & Bartolucius Aſſiſias vitæ, ac mortis Ioannis Dunſij defenſores: Conſtantius Sarnanus Cardinalis, & Albertus Pius Carpi Princeps, qui Scotiſtarum lucubrationes imprimi curarent.

XXIV Habuit item Scotus ex ſua Schola eodem ſæculo plurimos concionatores, innumeros diſputantes, plures Lectores, multos Epiſcopos, Cardinales quoque, è quorum numero eſt Illuſtriſſimus,& Reuerendiſſimus D.D. Felix Centinus Aſculanus S.R.E. fulgentiſſimum lumen, de Scotica doctrina optimè meritus, & omnigenea Philoſophiæ, ac Theologiæ cognitione inſtructiſſimus: Demum & D.N. Sixtus V. feliciſſimæ recordationis è Scotiſtarum Cathedra in Petri cathedram translatus eſt. Ad hæc, quæ priuatis viris religioſorum ſtudijs, vniuerſitatibus publicis recepta erat, etiam ab vniuerſali Eccleſia in Cõcilio Tridentino Scoti doctrina probata eſt; nam Iacobinus Bargius iuſſu Patrum Concilij vnam ad Scoti mentem compoſuit quæſtionem: quam in 1. d. 17. quæſt. 1. & 2. aſſerit à Sacroſancta Synodo approbatam, & iuxti Scoti placita definitam Spiritu ſancto, qui Scotum illuſtrauerat, illuſtrante vniuerſos Patres.

Offa prӕterea Scoti, quӕ honorato lapide cõtecta iacuerant, sed depresso, anno 1513. à Patribus Coloniensis Conuentus sepulchrum ӕditius Mausolӕi (spectata nostrę paupertatis opulentia) ad instar, ęre, siue auricalcho tectum, & artificioso elaboratum opere, obtinuerunt. Adijciam illud. Reuerendissimus Pater Generalis Min. Conu. Magister Iacobus Bagnacaballensis hoc anno 1619. die 15. Ianuarij, eruderato altiore sepulchro, & in arce formam extructo, ossa, quӕ antea in lapidea pila conclusa erant, in arcam plumbeam inclusit, & inmonumentum reposuit, magno cum honore Doctoris subtilis. Itaq; factum est, vt quem vos in infernum defodere, Deus supra terram euehere decreuerit; Sulcitans de puluere egenum, & de stercore eleuans pauperē, vt sedeat cum principibus, & solium gloriӕ teneat.

XXVI. Duo testimonia perhibet Guilhemus Vorilon, nobis penè ducentis annis antiquior: primum deuotionis, nam in 1. dist. vltima in gratiarum actione obseruat Scotum in operibus logicis obnixius obsecrantem: *O Deus, qui es terminus sine termino, da mihi benè loqui de termino*. Et in libro de primo principio sӕpius suspirantem: *O Domine Deus noster, qui venerabilem Augustinum, &c.* quod in operibus disputatorijs minus fecit Scotus ob diuersam tractandi rationem. Non omisit tamen, quum prӕter tres libros Sententiarum, quos in Dei gloriam conclusit; in quarto velut olor fato proximus suauius accinēs, omnes tractatus absoluit obsecrans vel Deo, vel nobis gloriam. Sic in 4. dist. 6. in fine. *Et hoc*, inquit, *à Deo in cuius nomine baptizamur, cui est gloria in sӕcula sӕculorum Amen.* In dist. 7. coronidem addit. *Nam in executione ordinum, & prӕcipuè in consecratione Eucharistiӕ clericus Deo suo religiosissimè famulatur: cui sit gloria in sӕcula sӕculorum. Amen.* In distin. 13. ad calcem tractationis de Eucharistia scribit. *Non enim potest in*

Ecclesia nimis digna persona, aut nimis dignus gradus inueniri ad consecrationem, vel dispensationem istius Sacramenti, in quo veraciter, & realiter continetur ille, qui est Sanctus sanctorum, cui sit gloria in sæcula sæculorum. In dist. 25. q. vlt. de ordinis Sacramento sermonem concludit. *Et gradus determinatus ministrandi in Ecclesia confertur illi, qui pro tempore isto ex ore infantium,*
Psal. 8. *& lactentium perficit laudem; cui sit laus in sæcula sæculorum. Amen.* Itidem de matrimonio superius legis nume 20. Ade in distin. 23. finem doctrinæ de extrema vnctione his imponi. *Vt omnibus remissis nihil remaneat retardans à perceptione beatitudinis, quam nobis concedat, &c.* similiter in 4. dist. 46. q. vlt. & dist. vlt. sub finem. In his igitur Scoti dictis obscuris clarescit vehementer eius pietas, spes, charitas, scopus.

XXVII. Secundum Vorilonis dictum est in 2. dist. 44. q. 1. qui obedientiam superiori debitam Scoti exemplo probat, dicens: *Narratur de Doctore subtili, quod in prato clericorum visa Generalis Ministri obedientia, dum actu Regens esset in Scholis Parisien. aut pauca, aut nulla de rebus (forsan libellis, aut scriptis) habita dispositione, Parisiis exiuit secundum ministri sententiam.* O' singularem obedientiam. Lutetiam florentissimam Vniuersitatem, in qua Regens erat, relinquere; & Coloniam, vbi Vniuersitas non erat, proficisci, nec vale dicto fratribus. Discipulis quippe comitatus ad portam ciuitatis gressus direxit; & interrogatus, cur non rediret in Conuentum, Fratresq; salutaret, respondit dignam Ioanne Scoto sententiam. *Pater Generalis iubet ire Coloniam, non redire domum ad salu-*
Pro. 21. *tandos fratres.* Ita fecit, ita dixit, ita & docuit præstantissimus Doctor. Egregiè sapiens. *Vir obediens loquetur victoriam.* Quoniam ex hoc promtissimo obsequendi studio Doctor subtilis & publicum; & priuatum testimonium adeptus est, & á suo Generali coram Deo, & hominibus laudem nunquam intermoriturum.

Ve-

Veruntamen ex ijsnon plenè probatur semper innocens Scotus; in multis offendimus omnes. Potest à lingua discordare manus. Potuit Ioannes Duus rectè scribere, & non rectè operari: potuit & rectè operari plerunque, at non necessario semper. Non ibo inficias, At eum, qui rectè scripserit, & inter probos vixerit, de cuius rectis actibus pluribus constat: præsumere in fine errasse, est re vera præsumere. Ego à præsumptione irrationali absim. Scotus vir Catholicus, & Apostolicus, quem Sedi Apostolicæ constantissimè subiectum infra demonstrabo: Vir religiosus, & Franciscanus, de cuius actis plura iusta, iniusta nulla referuntur: Vir sacer, & sacerdos, qui & se frequenter expiaret, & propitiatorium sacrificium immolaret Deo Patri, vt par est credere volens, & volans ad præmium conscendit, non autem nolens, vel inuitus. In quem sensum Reuerendiss. P. Generalis Iacobus Bagnacaballensis pulcherrimo, sed extemporaneo erupit disticho. XXVIII

Scotus, vt ingenio volitat super æthera viuens,
Sic moriens Scotus cælica Regna petit.

CAP. III.

Scotum non Scotinum, sed subtilem passim appellatum.

Matenesius. *Sed adeò tenebrosus, vt Scotinos passim diceretur.*

VEGLENSIS.

VT dem Ioannem Scotum esse tenebrosum, eum Scotinum appellatum non dedero. A' Sixto Senense, qui ducentis, & eò amplius annis fuit Scoto posterior, cępit hic titulus, quantū conijcio; quamquam Possevinus, qui diligenter Se- XXIX.

nensem, & sequaces legerat, id neglexerit refutare pro suæ breuitatis instituto: posuerit nihilominus veram opinionem, nempe à patria Scotum dici, non ab obscuritate. Non erat Scoti tempore illa Grecanicæ litereturę peritia, qua tu polles: non ergo ex Grecia, sed ex Scotia cognomen inditum. Deinde consuetudo religionis nostræ & fuit, & est; vt hi, qui literis operam nauant, de patria nomenclaturam accipiant. Vnde perrarò audies studentes vocari nomine Ioannis, vel Bonauenturæ, vel Augustini: sed Scoti Poloni, Viterbiensis. Ego quoque Veglensis nomine agnoscar à plurimis, Matthæi nomine vix ab aliquo; ita & Scotus à patria certo certius nuncupatus fuit. Tertiò, quando Generalis Gonsaluus Ioanni nostro facultatem Doctoratus fecit, eum Ioannem Scotum appellauit: nec damnauit obscuritatis dicta, vel scripta, quandoquidem ista nondum ediderat. itaque Scotus appellatur non à tenebris, sed à prouincia natiua. Quid quod & subtilis Doctoris discipuli, Antonius Andreas amantissimus, Ioannes Bassolius (si Radæ fidere libet) amatissimus à Ioanne Duns, eundem Scotum appellant; sic Franciscus Maironis, Ioannes Canonicus, & cæteri; hos autem obscuritatis palmam Scoto delaturos, quis non negauerit? Accedit antiquos de Ioanne Dunsio duplici sæculo scriptores, nunquam vsos titulo Scotinos in Scoto indicando: ergo non passim Scotinos appellabatur. Subtilem verò vocitatum sparsim in hoc opere demonstraui, in libro ad Abrahamum Bzouium collectim demonstraturus,

Contro-uer.to.I

Cap.

CAP. IIII.

Dubitatio Scholastica non est ratio dubia mortis.

Matenesius. *Et cum omnia in dubium vocaret, mors quoq; eius in dubium vocata est,*

VEGLENSIS. XXX.

HIC tria perpendam; antecedens istud, *Omnia in dubium vocaret:* postea consequens, *Mors eius in dubium vocata est:* tertiò connexionem consequentis cum antecedente, quam facis scribens, *cum in dubium omnia vocaret, eius quoq; mors, &c.* De antecedente, & consequente suo loco: nunc de consequentia, quæ breuiorem tractationem expostulat, vnde fit, vt ab ea exordiar. Primo nexum hunc à Bzouio non accepisti, quoniam ille nihil tale sua sponte asserit, sed ex Latomo refert, scilicet sub persona, & prætextu aliorum Scotum vellicat; an Latomum approbet, hæsito: vtar verò in hoc iudicio de sensu Bzouij regula Scoti in quolibet 7. §. *Sed quia nulli.* & 1. d. 8. quest. vlt. §. *De intentione istorum Philosophorum Aristotelis, & Auicennæ nescio, sed nolo eis imponere absurdiora, quàm ipsi dicant, vel quàm ex dictis eorum necessario sequitur: & ex dictis eorum volo rationabiliorem intellectum accipere, quem possum.* Itaque misso Abrahamo in meliorem partem, Latomus, & Matenesius arbitrantur, istam assertionem esse veram nempe: Eius, qui omnia in dubium vocauerit, mortem in dubium vocatum iri: Sic enim thesis ex illa hypothesi colligitur. Atqui subiungo, Sanctus Thomas omnia (sanè plura, quàm Scotus) in dubium vocauit, nam in commentarijs ad quatuor libros Sentent. omnia ferè Thologiæ dogmata vocat in dubium, in summa Theologica vocat in du-

bium, in Quodlibetis vocat in dubium, in Quæſtionibus diſputatis vocat in dubium. Itidem & S. Bonauentura ſuper quatuor Sentent. libros Theologica quæque vocat in dubium, conſequens igitur eſt, Sanctorum Thomæ, & Bonauenturæ mortem in dubium vocatam eſſe, quod contradicit: ibi ſub anno 1274. vbi vtriuſq; ſanctam, & certam narras mortē.

XXXI. Quid, quod illa Theſis auocat Scholaſticos à ſtudijs ſuis? Quis enim non horreat illud genus diſputandi, ex quo mortem tam infauſtam, & incertam impendere cognouerit? nonne & hæreticis fauet, Scholaſticam differendi Methodum procaciſſimè damnantibus? De ſcholaſtica methodo legatur Melchior Canus lib. 12. de locis Theolo. cap. 7. cum Cōmentario 27. Pegnæ in 2. partem director. Inquiſit. q. 2. & Andræas à Vega de Iuſtif. lib. 9. cap. 14. Petr. Trigoſ. in 1. part. D. Bonauen. q. 1. art. 1. dub. 2. Certè Scotus omnia, quæ in dubium vocauit, Scholaſtico more vocauit. Inſuper Alexander Alenſis Beatorum Thomæ, & Bonauenturæ præceptor, primus diſputationum Theologicarum libros compegit iuſſu Innocentij IV. quos Alexander IV. diplomate, ac ſeptuaginta procerum Eccleſiaſticorū ſyngraphis approbauit; Poſſeuino de Alexandro Alenſe in Apparatu ſacro, & Henrico VVillot Belga in Athenis Orthodoxorum ſodalitij Franciſcani teſtibus. Obijt autem Alexander anno Saluatoris 1245. duodecimo kalendas Septembris, nullaque ante, aut poſt de morte illius habita dubitatio. Itaque qui primus multa diuinorum dogmata in dubium vocauit, mortem indubiam feliciter obiit. Non igitur ea conſequentia efficax: quod ſi efficax, iam ille diſceptandi mos, quem ſummus Eccleſiæ vertex præcepit inſtitui, & inſtitutum probauit, infelicem funeris dubitationem eſſet pariturus. Apage has conſequentias.

CAP. V.

Omnia supernaturalia vera nec re, nec modo in dubium fuisse à Scoto vocata.

Matenesius. *Et cum omnia in dubium vocaret.*

VEGLENSIS. XXXII

ANtecedens hoc ponderandum est. Ioannes Duns, immò Duacius, omnia in dubium vocauit Ne quæso omnia. Nullæ quippe de rebus arithmeticis, vel musicis: aut de mineralibus, vel plantis; aut de rhetoricis, & poeticis quæstiones à Scoto proditæ. Sed esto, dispescamus ueritates supernaturales à naturalibus; atque dubitationem in eam, quæ secundum rem, & secundum modum est; & quatuor euadent membra, nimirum Scotum de omnibus naturalibus, aut secundum rem, aut secundum modum dubitasse: atq; de supernaturalibus omnibus vel re ipsa hæsitasse, vel modum hæsitantis assumpsisse. Mirandum autem, illud antecedens in omni sensu esse falsum. Exordiamur à rebus diuinis. Si Doctorem subtilem re ipsa dubitare doceres de veritatibus creditis, grauissimum illi scelus hæresis, aut infidelitatis imponeres: nam dubius in fide infidelis est. Si de modo dubitandi loquereirs, concederem, Scotum in dubium vocasse multa, non omnia; verum hoc neque malum est, neq; reprehensibile: licet & reprehendas, & reprehensione dignum æstimare videaris. Duo itaq; peragam: alterum est, ostendere Scotum de credendis veritatibus non dubitasse; alterum, modum dubitandi non esse reprehensibilem, vel dubiæ mortis rationem.

Quod ad primum attinet, ex ipsomet Scoto aliquot proferam loca, vt pateat, quàm constans, &

immotus in fide Catholica extiterit. Primò in 2. quæstione Prologi §. *De septimo scilicet de Ecclesiæ stabilitate.* patet, quo ad Caput per illud *August. de vtilitate credendi quasi in fine. Dubitamus nos eius Ecclesiæ credere gremio, quæ vsq; ad cōsūmationem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, culmen authoritatis obtinuit?* Hæc non sunt verba dubitantis (Matenesi) sed omne dubium propulsantis.

Ex primo Sententiarum.

XXXIII. In 1. dist. 2. q. 3. quæritur, An Deus sit tantum vnus. Respondet Scotus: *In ista quæstione conclusio est certa; sed dicunt aliqui, quod hæc conclusio non est demonstrabilis, &c.* & in eadem dist. 2. q. 4. secundæ partis describit, *Ad secundam quæstionem, cum quæritur de Trinitate personarum in diuinis. Respondeo, quòd sunt tantum tres personæ: quod probatur; &c.* Assertiore solutissima de Vnitate, & Trinitate personarum diuinarum dubia non est, nisi apud te certa sunt dubia.

In 1. dist. 5. q. 1. *Quantum* inquit, *ad primum articulum, in quo Abbas Ioachim dixit Magistrum Petrum esse hæreticum, contradicit sibi Papa. Nos autem sacro approbante Concilio, &c.* Scotus tanquam constantissimum habet, quod ex indefectibili fide Petri procedit. In eadem distinctione dubitant Theologi, an Filius generetur de substantia Patris, vt de materia, vel quasi materia. Quid tu, Scote, omnium dubitator respondes? *Tenendo cum Doctoribus antiquis, qui omnes à tempore Augustini vsq; ad istum non sunt ausi in diuinis vocare materiam, vel quasi materiam, cum tamen omnes concorditer dicant, quod Filius generatur de substantia Patris. Dico primo, quòd Filius non generatur de substantia Patris, sicut de materia, &c.*

Dist. 11. quæst. 1. quæritur, An Spiritus sanctus pro-

procedat à Patre, & Filio. pijſſimè Scotus in principio corporis quæſiti ſcribit, quæ Beſſarion in Concilio Florentino vſurpauit ad conciliandos latinis Græcos: poſtea ſubdit, *Quicquid ſit de de eis, ex quo Eccleſia Catholica declarauit, hoc eſſe tenendum, ſicut de ſubſtantia fidei; ſicut patet extra de ſumma Trinitat. & fide Cathol. c firmiter. Tenendum eſt, &c.* *Beſſarion in orat. tom. 4. concil.*

Et diſt. 12. q. 1. ſciſcitanti, Vtrum Pater, & Filius ſpirent Spiritum ſanctum, in quantum omninò vnũ principium, ſatisfacit. *In iſta quæſtione planum eſt, quod Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti; hoc declaratum eſt in Concil. Lugdun. ſub Greg X. ſicut patet extra de ſumma Trinit. & fide Cathol. & eſt hodie in 6. lib. Decretalium.* Hæc rata, certa, ſolida ex Primo ſententiarum ſufficiant. delibemus aliqua ex ſecundo.

Ex ſecundo Sentent.

In 2. diſtin. 1. quæſt. 2. diſputatur, An Deus poſſit aliquid creare: ſati ſfacit Scotus. *Quantum ad iſtũ articulum dico, quòd de nihilo, ideſt, non de aliquo ſecundum eſſe exiſtentiæ poteſt Deus creare, & per conſequens de nihilo, ideſt non de aliquo ſecundum eſſe eſſentiæ.* XXXIV

Item diſt. 17. quæſt. 1. inquit. *Circa iſtam quæſtionem fuit vnus error quòd anima eſſet de ſubſtãtia Dei producta.* & infra. *Hic error eſt nullus, quia qui concipit ſubſtantiam Dei, concipit eam, vt indiuiſibilem, & inalterabilem, &c.*

Amplius diſtin. 23. q. 1. *Dico igitur ad quæſtionem, ꝙ non poteſt fieri talis natura, ſiue voluntas, quæ ſit impeccabilis per naturam; quia authoritates ſanctorum ſunt expreſſæ de hoc, &c.*

Et in 2. diſtinct. 37. q. 1. dum inquiritur, An Deus poſſit peccare, Scotus ait. *Ad argumenta quartæ quæſtionis dicitur, ꝙ etſi peccatum ſit à voluntate creata, non tamen eſt à Deo, quia Deus non primò deficit, ſed quantũ eſt ex parte ſua omnino non deficit.*

Ex

Ex tertio Sententiarum.

XXXV, Deinceps ex tertio Sententiarum aliquot promam authoritates, ex quibus luce meridiana clarior appareat certitudo Scoti circa credibilia: cum in tertio d.1. q. 1. eam satis aperuerit. Si enim interroges, An Verbo humanitas vniri possit, respondet, *Supponendo partem affirmatiuam, tanquam articulum fidei principalem inter illa, quæ respiciunt temporalia; ad intelligendam istam possibilitatem, &c.*

In 3.d.4.q.1. Vtrum Beatissima Virgo Maria fuerit verè mater Dei, & hominis, hisce docet. *In ista quæstione conclusio est certa, sicut patet per Damascenum capite 58. Dei genitricem, &c.* Ibidem dist.17.q.1.de duabus Christi voluntatibus inquit: *Istam quæstionem soluit Damascenus cap. 60. quòd sicut secundum fidem firmiter tenendum est in Christo esse duas naturas &c.*

Vlterius in dist. 6. q. 3. scribit. *Tertia opinio tempore Magistri non fuit hæretica, sed postea tempore Alexandri est condemnata; sicut patet extra de hæreticis, Cum Christus.* Igitur ex Papæ damnatione, vel non damnatione, hæreticum, vel non hæreticum Ioannes Scotus dijudicat. An ne hoc est dubium? Tibi fortassè, non Scoto, prout liquidò cernis.

Item in 3.d. 23. q. 1, ait. *Ad quæstionem tamen dico, quòd oportet ponere fidem infusam propter authoritatem scripturæ, & sanctorum.* Et in 3. dist. 38. q. 1. lego. *In ista quæstione tenetur communiter ab omnibus, quòd ipsum mendacium sit peccatum: quod persuadetur ratione August. lib. contra mendacium. Stultum est credere illi, cui licet mentiri; sed multis est credendum, alioquin totaliter periret conuictus humanus, & manifestatio conceptuum, & affectionum mentis: igitur illis, quibus est credendum, non licet mentiri.* Audiant historici, eos alloquitus Scotus, nam historiographis est omnis posteritas creditura,

ditura ; nisi oppositum probetur: neq; enim potest de maiorum gestis notio conquiri facilius, quàm ex rerum gestarum historijs. Non licet ergo historico falsum cautè, vel incautè scribere; non illud, nesciens, & volens mentiatur: non istud, quoad fieri potest, ne alijs deceptionis occasionem præter spem relinquat, vnde neque culpa vacant, qui segnes fuerint in earum, quas scripturi sunt, rerum veritate inuestiganda.

Ex quarto Sententiarum.

XXXVI

In quarto Doctor subtilis vberior, clarior, limitatior est, & sine controuersia vtilior: ita vt liber quartus tribus prioribus antecellat vtilitate, ordine, copia; in quo, cum bona omnium venia dixerim, Scotus de sacramento sacramentorum Eucharistia docēs, Scholasticis quibusuis apparet tum robustior, tum opulentior. Verum & quartus aliquot nobis loca suppeditabit ad Scoti soliditatem demonstrandā. Et quidem dist. 6. quæst. 9. cum de caractere loquens, nullam ab alijs allatam authoritatem, vel rationem efficacem esse ostendisset ad caracterem probādum, in corpore quæsiti loquitur. *Breuiter sicut habetur extra de hæreticis, Ad abolendam. sentiendum est de sacramentis Ecclesiæ sicut sentit S. Romana Ecclesia. Romana autem Ecclesia videtur sentire caracterem in anima imprimi in Baptismo, sicut dicit Innoc. III. extra de Baptismo, & eius effectu, Maiores, &c.*

Similiter 4. distin. 11. quæst. 3. §. *quantum ad istū, &c.* & dist. 10. quæst. 3. in corpore. *Conclusio est certa cuilibet fideli, scilicet, corpus Christi esse in cælo, & in Eucharistia.*

In 4. dist. 43. quæst. 1. §. De secundo articulo. *Sed pro nunc manifesta est conclusio ex veritate fidei: hanc enim veritatem tanquam articulum fidei exprimit tàm*

Sym-

Symbolum Apostolorum, Carnis resurrectionē, quàm Symbolum Nicenum, Et expecto resurrectionem mortuorum, quàm Symbolum Athanasij, Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis. Istud autem valdè expressè habetur in multis locis scripturæ, vtpote Ioan. c. 5. &c.

Denique ad vmbilicum adduco rationem allato Doctore subtili in 4. dist. 43. quæst. 2. in fine: *Ex his apparet, quantæ sint gratiæ referendæ misericordiæ creatoris, qui nos per fidem certissimos* (nota, lege relege) *reddidit in his, quæ pertinent ad finem nostrum, & ad perpetuitatem sempiternam: ad quæ ingeniosissimi, & eruditissimi quasi nihil poterant attingere; iuxta illud, quod adductum est de Augustino 13. de Trinit. 9. in fine, quod vix pauci magno ingenio præditi vacantes otio, &c. Ad indagandam solius animæ immortalitatem potuerunt peruenire. Sed si fides adsit, quæ est in eis, quibus dedit Iesus filios Dei fieri, nulla quæstio est, quia ipse suos credentes in hoc certissimos reddidit, &c.*

XXXVII. Sed iam sit modus, ne mihi Scoti codex sit transcribendus; constetq; nobis, Io. Duns non dubitasse de Christianis dogmatibus secundum rem. Non ambigit de reuelatis à Deo Scotus, sed de humanis inuentis. Consule primum dist. 41. quæst. 1. sub fine corporis. *De istis*, inquit, *opinionibus omnibus, quia Apostolus videtur disputans de ista materia ad Rom. in fine quæstionis totum imperscrutabile relinquere, O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ, Dei, &c. Ideò ne scrutando de profundo in profundum eatur; &c Eligatur quæ magis placet.* Cunctatur Scotus, fateor, hæsitat in opinionibus hominum, sic in 2. dist. 1. q. 3. in primo d. 26. q. 1. in 3. dist. 14. q. 3. & sæpius fecit; nam quæ diuini iuris ab his, quæ humanæ excogitationis discreuit subtilissimè: hæc sub dubio reliquit; non illa. Quapropter aperta calumnia his Latomi versibus concluditur.

Quæ-

Quæcunq; humani fuerant, iurisq; sacrati,
In dubium veniunt cuncta, vocante Scoto.

Quare id, quod Sco. in 4. dist. 21. q. 2. litera M. de quodam carmine censuit, nos quoq; de hisce carminibus censebimus. Sic autem Scotus. *Reprobandus est ille versus,*

Est hæresis crimen, quod nec confessio celat.

Non quin metrum sit bonum, sed sententia est falsa. Neque iniuria Ioannes Duns in humanis nutat assertis: præsumptionis nanque est eadem certitudine humana, & diuina credi velle; Scotus & à præsumptione longè abest. & humanam temeritatem potenter retundet, quando talem poposcerit fidem, qualem non habet. Diuino decreto simpliciter assentit Scotus, humano non item; est quippe Deus verax, omnis autem homo mendax.

Porrò duas ob causas dubitare optimum est in humanis assertis, quando credendis adhærescunt: primò XXXVIII quia omnis opinio est cum formidine de opposito, secundò quia omnis opinio circa res fidei debet esse cũ plenissima præparatione ad assensum oppositi, si Deus oppositum per Sedem Apostolicam sanxerit. Nonnè & Doctor subtilis hoc solidissimè in 4. dist. 5 q. 1. ad vltimum reserauit? sed præstat eius textum referre. *Alia sunt, quæ nec necessariò sunt explicitè credenda, nec ab istis, nec ab illis: quia non adhuc illorum veritas est declarata, & determinata per Ecclesiam: cuiusmodi sunt multæ conclusiones necessariò inclusæ in articulis creditis sed antequam sunt per Ecclesiam declaratæ, & explicatæ, non oportet; quemcunq; eas credere: oportet tamen circa eas sobriè opinari, vt scilicet homo sit paratus eas tenere pro tempore, pro quo veritas fuerit declarata. Hoc modò dico, quòd baptismum esse sacramentum nouæ legis necessarium ad salutem statim erat de veritate fidei Christianæ, quia expressè habitum est in Euangelijs:*

sed

sed quod ab hæreticis poterat conferri, non sic statim expressum fuit, immò nec tempore Cypriani declaratum. Propter quod circa illam veritatem baptismi declarandam multum laborauit August. in libris suis, vt de vnico baptismo, & contra Donatistas. Vnde si Cyprianus ità sensit, scilicet, apud hæreticos non esse baptismum, quòd tamen promptus esset sentire animo circa hoc, quod Ecclesia determinauit, in nullo errauit, nisi fortè venialiter peccando, quia nimis asseruit illud, ad quod nec authoritatem, nec rationem cogentem habuit. Ratio enim sua nihil valet, scilicet, quod quis non habet, non potest dare, quia baptizans non dat gratiam, sed Sacramentum, & illud habet in virtute, quia habet ordinem. Et hoc modo fortè innuit August. eum peccasse venialiter, &c. Hanc ob causam Scotus dubitat, non asserit, ne in errorem, neve in veniale peccatum incurrat.

XXIX Atque in ijs ancipitem esse, Scoto vehementissimè profuit, siquidem in 3. dist. 3 disquirens an B. Virgo à labe originali præseruata fuerit, timidè loquens, & humilitatem in respondendo, & zelum, atque pietatem in sentiendo luculentissimè demonstrauit, medio quæstionis in hæc dicta concluso. *Quod autem horum trium, quæ ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus nouit. Si autem Ecclesiæ, vel authoritati Sanctorum non repugnat, videtur probabile quod excellentius est attribuere Mariæ.* Vtinam capitosi sectarij, aut etiam audaculi quidam Theologi tantam decernendo seruarent modestiam: Illi namque semper cum Ecclesia essent, illi semper cum virtute. Scotus dubitat vtique, vt væ illi si non dubitasset: cum ob dubiam locutionem ingentes in eum commotæ tempestates, & fabulosa hæc de ipsius doctrina, & moribus, vita, & morte nata historia, sint argumento malorum, quæ passurus erat, si asseruisset, qui non asserendo tanta passus.

XL. Transgredior ad alterum dubitandi membrum, quo

quo Scholasticus dubitat de supernis effatis. Nec ostendam, à Scoto in dubium non omnia reuocata, si enim hinc summas Theologicas Alensis, & Aquinatis, illinc Scoti sententias expenderis, offendes quam plurimas quæstiones ab illis discussas, ab hoc ne propositas quidem: vt de peccatis mortalibus, & eorum oppositis, de Cardinalibus virtutibus, earumq; partibus, de Purgatorio, de Indulgentijs, de Ecclesia, & capite ipsius. Moliar igitur ostendere, modum scholasticum malum non esse, nec malæ mortis rationem, id, quod penè incidit cum sensu connexionis pridem expensæ numero 30. Modus scholasticus ergo, quo sacra per modum dubitationis proponũtur, & in vtranque contradictionis partem ventilantur: mox veritas declaratur, confirmatur, defenditur, incredibile est, quantum conferat.

XLI. Eo probè credibilium terminos definiri, in veritates componi, vel diuidi, ac tertiò ex veritatibus conclusiones educi præclarè instruit S. Thom. prima part. q. 1. Eo iuxta S. Bonauenturam proposita veritate Catholica quæruntur media necessaria, vel probabilia ad fidem roborandam, responsiones, vel vestigantur ad hæreticorum sophismata eliminanda, rationes indagantur ad hæreses conuellendas. Eo cælestia dicta à terrenis abiunguntur, ne inter credenda irrepat vel error, vel opinio: sacrarum Literarum declarantur obscura, dura molliuntur, aduersantia specietenus in concordiam rediguntur, secundum Scotum 3. dist. 24. q. 1. Cuius modi vtilitates Doctor Seraphicus quæstio 3. Prologi egregiè complectitur, nam infidelibus prodest, dum impedimenta fidei submouet; fidelibus infirmioribus prodest dum propulsatis dubijs infirmam fidem confirmat: firmioribus prodest, quos credita intelligere facit, & solatio sancto demulcet, dicente Bernardo; Nihil libentius intelligimus, quam quod fide credimus. Eo denique modo

Bern. l. 1. de cõsid. post initiũ.

modo plurimis hæreticis,& hæresibus aditus præclu ditur: quia Scholasticorum omnes præuidere, ombus prouidere cauillationibus interest;quo fit,vt argumenta, quæ de nouo apud segreges emergunt, iam putida, & antiquata Scholis inueniãtur priusq; soluta, quàm inuoluta: vnde Scholastici inanem illam gloriolam, ad quam ardentissimè magistri sine magistro inhiant,eisdem excutiunt.

XLII. Seuerus iste disputandi modus,quo relictis verborum fucis fides illustratur, vel hoc nomine Catholicis omnibus laudandus, quod hæreticis est infaustus omninò,eoque vsum esse sectariorum arbitror profectò neminem. Neque id mirum: nam aut veris,aut verbis munienda scripta; in hæresi nulla veri firmitas: in methodo scholastica nulla verbi venustas. Actum est de hæresi proculdubio, si ad lapidem scho lasticum examinetur; tum apparet lupus absq; ouis pelle,tum sathana figuram angeli lucentis exuit,venenum aspidum sine mellinio nemini gustabile inuenitur. Itaque hunc morem differendi non modo licitum,verùm etiam valdè proficuũ, & necessarium, qui reprobet, catholicis infensus hæreticorum fautor deprehenditur.

XLIII Vnum tantum,& pergo. Dicere posses,Matenesi, te non posuisse Scotum dubitãndum circa Diuina, sed creata: nec re, sed modo. Teneo; at subiectum & prædicatum tui antecedentis discutio; subiectum est *Omnia*, prædicatum, *Vocare in dubium*. sub omnibus veritates quoque catholicæ sunt, nisi eas, vel ab omnibus, vel à veritatibus eximas. Et certè de his intellexisti, quia dubium malum,tanquam malæ mortis radicem,in Scoto reprehendis: atqui de veritatibus creatis,quà tales,dubitare non est malum lethi demeritorium infelicis. De prædicato verò te breuissimè compellabo. Aut arbitraris, Scotum de credendis realiter dubitasse,aut modaliter;si primũ,

iam

iam viro fideli infidelis notam inussisti; si secundum, & hoc improbum census (quia quod malum non est, malæ mortis ratio esse non potest) tu ipse erras. Et quidem te secundo sensu intelligere vereor; nam de illo dubio loqueris, quo Scotus dubitat: Scotus non dubitat realiter, prout circa supernaturalia latè deduxi; sed modum dubitandi subit, dum scholasticè ambigit, non ambigens, impugnat non impugnans; ergo dubitandi modum scholasticum carpis, cumque VVitcleffitis in Concilio Constantiensi percelleris.

CAP. VI.

Omnia naturalia vera, neque re, neque modo à Scoto fuisse dubitata.

QVoniam Doctor Subtilis pauca ex alijs facultatibus, longè plurima ex Theologia in quæstionem exposuit: pro comperto habeo ex dictis eum non omnia in dubium reuocasse, quæ ad naturales pertinent veritates. Verùm vt omnem ambigendi occasionem tibi amputem, quam breuissimè repandam Ioannem Dunsium re ipsa in incerto non habuisse omnia. Arcesse Scotum in 1.d.3.q.4. in qua, data opera, academicos exagitat, eo quod nos non posse naturaliter vllam veritatem certam, & sinceram tenere opinarentur. Oppositum de triplici cognoscibilium genere tuetur Scotus, nempe de principijs per se notis, & conclusionibus euidenter ex principijs emergentibus: de cognitis per experientiam, & de actibus nostris. De quibus nos naturaliter certitudinem infallibilem assequi posse protestatur iste omnium dubitator. Imò vix inueni vnam conclusionem naturalem, quam in æquilibrio, atq; vt aiunt, problematicam reliquerit. Ea est in quolib. 15. quum XLIV

indagat, sit ne agens intellectus principiũ actiuum actus intelligendi, nec ne, sed possibilis.

XLV. Ad hæc, Ioannes Scotus Peripateticus egregius Peripateticorum Principi addictissimus omnia, quæ Aristoteles rata habuit, vt rata complexus est. At quàm multa illa? Ergo in paucissimis naturalibus veris Scotus ambigit. Sed rem iusto clariorem vberius explicare non decet: postula tantum ab aduersarijs Scotistarum, an contra eos quippiam Scotus asseuerauerit; inde etenim efficacissimam refutationem tui antecedentis reportabis.

XLVI. Ad figuram dubitantis examinandam conuertor. Conuenit inter Scotistas, Ioannem Scotum in libros nouem metaphysicorum quæstiones reliquisse: in logicam permultas sub Scoti nomine circumferri; sed paucas tanquam legitimas agnosci. Concedamus tamen omnes illas, quæ Dunsio ascribuntur, disceptationes Dunsianas esse: num propterea de omnibus dissidia excitauit, dubia proposuit, lites commouit? De cælo, de generatione, meteoris, paruis naturalibus, geometricis, arithmeticis, de medicina, de iure nullas disputationes conscripsit. Inane est igitur dictu, omnia vera, quæ intra naturæ ambitum concluduntur à Scoto in dubium vocata.

XLVII Quæ omnia tametsi vocasset ad filum, non ob id promeritus esset tetram illam mortem. Nonnè Aristoteles dialecticam facultatem in hunc vsum tradidit, vt de quouis problemate in vtranque partem disputare valeremus? Lege primum Priorum cap. 1. & 1. Topicorum cap. 1. An id malum? audi Aristot. in cathegoria eorum, quæ sunt ad aliquid inclamantem: *Dubitasse de horum vnoquoq; non est inutile*. Audi in 1. de cælo contextu 101. probantem dubitationem, qua vtriusq; partis rationes percipiantur. *Demonstrationes*, inquit, *contrariorum dubitationes de contrarijs sunt. Insuper & dicenda magis creduntur, si sententiæ*-

tentiarum earum, quæ in controuersiam veniunt, iura prius fuerint audita: absentes enim condemnari minus vtiq; videbuntur; etenim eos, qui satis iudicauerint veritatem, non aduersarios, sed arbitros esse oportet. Audi etiam in 3. Metaph. tex. 1. doctissimè differentem. *Ad illam quæ quæritur, scientiam, necesse est in primis nos percurrere, de quibus primò dubitandum est. Hæc autem sunt, & quæcunq; de eis aliter quidam existimarunt, & si quid vltra hæc prætermissa sunt. Est autem operæ pretium aliquid facultatis habere volentibus, benè dubitare: nam posterior facultas solutio eorum est, quæ antè dubitata fuerunt. Soluere autem non est, cum nodus ignoretur. Sed intellectus hæsitatio manifestum hoc de re facit, quatenus enim dubitat, eatenus simile quiddam ligatis patitur; vtroq; nanq; modo impossibile est ad vlteriora procedere. Quare omnes primò difficultates speculari par est, & horum gratia, & propterea quod illi, qui quærunt, nisi primò dubitent, similes illis sunt, qui quonam ire oporteat, ignorent. Et ad hæc neq; vtrum inuenerint, quod quæritur, an non, cognoscere possunt: finis etenim ijs, quidem non est manifestus, illi autem, qui antea dubitauerit, patescet. Item melius se habere necesse est illum adiudicandum, qui tanquam aduersarios omnes vtrinque rationes oppositas audiat.* Hæc Aristoteles, qui & impleuit librum tertium Transnaturalium dubijs, pro vtraque contradictionis parte. Hinc facilè prouocaueris logicos, physicos, ac metaphysicos aduersum te, si dubitationes perperam afferri concluseris; contra quam Philosophus senserit. Abundè iam meo muneri satisfeci, atque Matenesianum illud antecedens quouis in sensu veritate carere demonstraui. De his hactenus.

CAP. VII.

Mors, funus, bustum Ioannis Dunsij considerantur.

Matenesius. *Mors quoq; eius in dubium vocata est: apoplexia enim correptus, exanimem putantes, nimis festinato funere ad sepulchrum in choro sui Ordinis deferunt.*

VEGLENSIS.

XLVIII. QVa ratione mors in dubium vocata, & à quo? Si enim à nullo dubitatum, neq; dubium quicquam est. An intelligis ita, vt qui prius certo sibi de Scoti morte persuaserant, posterius dubitauerint? Cur prius certos, posterius incertos arbitraris? Certos dices, quia apoplecticum viderunt, quia in chorum tulerunt, quia in sepulchrum intruserunt. Assentior. Incertos, quoniam audiere mugitum, pulsum exhorruere, caput elisum inuenere; non assentior. Num quem falsum reperi in tempore, falsum in Pontifice, falsum in Rege, falsum in Scoti voluntate, falsum in cognomento, falsum in antecedente, falsum in consequentia, veracem in consequente existimarim? absit. Mors Scoti certa, primum: funus dilatum, secundum: sepulchrum pristinum diuersum, esto tertium: de quibus nunc tecum. Reliqua de regressu, mugitu, pulsu, elisione non tàm contra te (tametsi & contra te) qui non es author, quàm contra Iouium agitanda. Te nunc, aliàs alios interpellabo.

XLIX. Ad primum reuertor. Scoti mors non dubia, sed certa fuit, non falsa, sed vera, non putata, sed realis; id ex Medicorum peritia, discipulorum præstantia, ex fratrum colligitur multitudine. Medicos iudiciū ferre de apoplexia certum: alioquin temerè Scotum apoplexia correptum assereres. Eorum est de sanita-

te,

te, & ægritudine, vita, & morte censura.

Quod medicorum est

Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Medicus iudicauit Scotum apoplexia mortuum, tu viuum; vtri credendum? At errant Medici: quandoque bonus dormitat Homerus. Vtique: nunquam igitur & nulli medico credendum. An censendum est, eos in pluribus non errare? Te itaque asserentem errasse medicos, medici errare conclamabunt. Conuincat erroris, qui prætendit errorem.

Accedit, Ioannē Duns plurimis fuisse discipulis tū ex religione, tum ex sæculo circumseptum, prout par est de tanto viro credere; sanè de fratribus in medio est, quandoquidem nullus lector à religione destinatur sine auditoribus. Et Scotus habuit præcellentissimos, qui pro ingenij viuacitate, ac eruditionis affluentia non omninò iudicio caruissent in morte, ac sepultura Doctoris cognoscenda.

Tertiò in hoc ipso nostro Conuentu Coloniensi feruente populorum deuotione in Beatum Franciscum, fulgentibus doctrina, & operibus Franciscanis, ducenti, & vltra numerabantur Scoti tempore fratres. Omnes decepti tamen, tu verò indeceptibilis. Omnes medici, discipuli, fratres mortuum dicunt; Iouiani non dicunt; ergo Iouiani verum dicunt? Imò non dicunt. Potioris testimonij sunt præsentes, quàm absentes. Qui autem certi fuerant, non habuerunt causam dubitandi posterius, nam sepultura terrea (Scotus quippè in terra sepultus) terrorem omnem ambiguitatis depellit.

Secundum ostendo. Quæ fratres Minores alijs fratribus officia persoluere consueuere in exequijs, ea fratri Ioanni Duns persoluisse non est obscurum: quæ item alijs Doctoribus iusta soluebantur, ea Doctori subtili quoque reddita fuisse tanquam clarum suppono. Fratres igitur mortuum fratrem lauant, in L.

choro, vel capitulo noctu excubantes seruant, die sequenti missæ oblato sacrificio, & precibus Ecclesiæ funeralibus profusis sepulchro dedunt. Doctores verò, præsertim insigniores, in feretro libris circundatos seruant vsque ad vesperas, vt minimum: deinde processione, laudatione, & præcibus solemnioribus parentant, ac tandem in sepulturam recondunt. Nec fratres in fratrem iniquos, nec discipulos in talem, ac tantum præceptorem ingrati animi vitio laborantes autumem: quin hæc eadem in Ioannis Dunsij exequijs obseruauerint. Quo fit, vt prior pars de vera, reali, certaque Scoti extinctione, certior euadat: nam & calor ablutionis, & frigus noctis, & rumor multitudinis, & dilatio temporis aliquod in viro iuuene vitæ indicium, si vita infuisset, præstitissent. Nec mouet, quòd aliqui longiore tempore non mortui perdurarint: nisi velis omnia defunctorum cadauera octo, vel quindecim diebus exhumata, domi retineri. Nil singulare in Doctoris subtilis morte euenisse coniector, quoniam toto illo sæculo (quantum videre licuit) historici nihil de re ista scripserunt; expectabatur quippè Iouius, qui post ducentos, & amplius annos nullius authoritatem secutus, fabulam à maleuolis quibusdam confictam, vt sentio, & à scriptoribus neglectam astrueret. Tarde venit.

L I. Tertium dispungo. Scito, Matenesi, sepulchrum Ioanni Dunsio non fuisse constructum antequam moreretur, neque inscriptiones appositas de mortis tempore ante mortem: nec enim vaticinari poterant Franciscani, eum Coloniæ moriturum, qui neq; Oxonij lector, neque Parisijs Regens decesserat: sed primò sepultus fuit humatus, quemadmodum & cæteri fratres sepeliebantur in terra, postea lapis ei superpositus, deinde gliscente Subtilium gloria in medium chorum translatus. Duo verò sepulchri Scoti

tici loca mihi ſunt ſatis perſpecta, alterum eſt in medio chori Eccleſiæ Minorum ſub campana, alterum ante introitum Sacriſtiæ circa altare trium Regum. Hæc autem patrocinio duplici fulciam, primum nactus ſum in chronico Hirſaugienſi opere profectò eximio inter hiſtorica Trithemij, quod ſub anno *1308.* inquit. *Anno prænotato, ſexto idus Nouembris obijt in Colonia Ioannes Scotus Doctor ſubtilis Ordin. Minorum, ibidem in ſuo Conuentu Ad introitum Sacriſtiæ ſepultus; qui quanta ſcripſerit, quàm ſubtilia, & profunda in Theologia receptiua, & omnes Theologi noue runt, & nos in libro noſtro de Eccleſiaſticis ſcriptoribus annotauimus.* An autem Trithemius id ex propria cognitione tradat, qui ſæpius Coloniæ fuit: an potius ex aliquo eorum, quos recenſet in præfatione Hirſaugienſis chronici, hoc prompſerit, & in primis ex Gotfrido Monacho Sancti Pantaleonis in hiſtoria Colonienſium, qui in manus meas non peruenit, nondum conſtitui. Hic prior tumulus; poſterior verò, & honoratior in choro apparet ex chronicis Colonienſibus anno *1499.* excuſis Germanicè, quæ de Doctore ſubtili ad annum *1308.* ita loquuntur. *Et ſepultus eſt apud Minoritas in choro ſub campana, prout declarat ſuperſcriptio apud ſuum ſepulchrum.* Sed quo tempore in chorum primitus translatum Scoti corpus non compertum. Cæterùm quod opinor, exprimam: conijcio etenim ex amica æmulatione inter Dominicanos, & Franciſcanos intercedente; cùm Albertus Magnus in medio chori Coloniæ apud Dominicanos, Ioannes Duns apud Franciſcanos requieſcant; Ioannem paulò ante, vel poſt Albertum translatum. Porrò Albertus translatus eſt Anno Domini *1493.* tertio idus Ianuarij, vt in eius vita Coloniæ impreſſa ab innominato Dominicano ſcripta reperitur.

Adſtipulatur ſecundo loco epitaphium Ioanni L I I.

Scoto appositum. Nam illud, quod nunc æneis renidet literis cultum sapit moderniorem, ex ipsa ratione carminis, & ex compositionis æuo; nimirum anno 1513. æneum tegumen Scoti tumulum honorauit. Ideò animum ad antiquioris epitaphij disquisitionem impellentem secutus, & penè spe inueniendi defectus, tandem in bibliotheca nostra Franciscana ad dexteram ingredientis inter literas G. & H in tertio pluteo librum quendam inueni manu scriptum, in quo præter tempus Scotici obitus, etiam hæc erant adiecta.

Epitaphium Scoti.

Clauditur hic riuus, fons Ecclesiæ, via, viuus,
Doctor iustitiæ, studij flos, arca sophiæ.
Ingenio scandens, scripturæ abdita pandens.
In teneris annis fuit, ergo memento Ioannis,
Hunc Deus ornatum fac cælitus esse beatum.
Pro patre translato modulemur pectore grato,
Dux fuit hic cleri, claustri lux, & tuba veri.

Adiunctio Epithaphij sepulturæ eius.

Hic lector Scotus subtilis sit benè notus,
Doctor humi stratus, hac subq; nola tumulatus
Prò quo orate, Christi veniam flagitate,
Dicentesq; pie, tu summe Deus miserere.

Quo loco placet animaduertere, quartum & quintum metra huius cœnotaphij apud Tossinian. lib. 3. Histor. Seraph. & ex ipso apud Henricum VVillot in Athenis Orthodox. solidalit. Francisc. restituenda esse, nam apud hos rithmum in quinta, & sexta syllabis cum penultima, & vltima iuxta leonini versus dimensum non deprehendes, Illud verò constat, epigraphe primum nunc allatum longe magis cum Scoti temporibus congruere, quemadmodum ex cænotaphio Alexandri Alensis, Alberti Magni, atque plurimorum sapientiæ, ac virtutis procerum conspicitur. Præterea constat, Scotum prius fuisse

tu-

tumulatum alibi, postea vero sub nola, seu campana, de qua mentio fit in adiectis quatuor versiculis, eo scilicet, quo Scoti ossa transportata sunt, tempore.

Congruit propterea cum prænotatis historijs relatum epitaphium, ex quo eruitur, tempore chronici Coloniensis, Dunsianas reliquias in medio choro quieuisse. Anno iterum 1509. erutæ post excelsius altare sunt seruatæ, dum sepulchrum, quod præsenti æuo superest, ædificatur, & auricalcho tegeretur, in quod anno 1513. die 16. Augusti denuò repositæ fuere. Cuius rei chirographum in Sarcophago arcula plumbea inclusum fuerat; sed ab admod. R. P. Commissario Magistro Iosepho Piscullio Melphiensi (qui postea & Minister Generalis Ordin. Minor. Conu. & Episcopus Ecclesiæ Catanzariensis) educta, in archiuio Conuentus huiusce reseruata est cum instrumento à me lecto. Demum Reuerendiss. P. Generalis Mag. Iacobus Bagnacaballensis hoc anno 1619. die 13. Ianuarij Dunsiana effodit ossa præsensentibus Illustrissimo, & Reuerendissimo D. D. Antonio Albergato Bonon. Episcopo Vigiliarum, & Nuncio Apostolico pertractum Rhenanum cum potestate Legati de latere: Reuerendissimo Domino D. Othone Gereon Episcopo Cyrenen. & Suffraganeo Colonien. Reuerendiss. P, Cosma Morelio Hispano Dominicani instituti, Coloniæ Inquisitore aduersus hæreticam prauitatem, atque alijs pluribus. Tum inuenta sunt, ossa in lapidea pila trium palmorum longitudinis, non quidem in sepulchro, sed ad caput sepulchri. Die sequenti tentatum sepulchrum, humoq; oppletum est deprehensum coram clarissimis Doctore Thoma Aubel Coloniæ Matemat. ordinario, & D. Theodoro Herl Iuliacensi iuris Licentiato, & eximio Dom. Rugero Hagens Colonien. testibus peculiariter accitis. Tunc erudera- LIII.

tum

tum fuit monumentum, & in cameræ formam ædificatum: reliquiæ Doctoris subtilis in arca plumbea clausæ, & domum æternam introductæ iussu eiusdem Reuerendissimi Patris die decimaquinta eiusdem Mensis Ianuarij 1619. prout superius attigeram, fuerunt.

LIV. Ad hæc de genere mortis Dunsianæ probabilior mihi est sententia dicens, eum apoplexia sublatum è viuis: Sed nec ea est penitus certa. Mors est certa, incerta vbi, quomodo, quando: incerta hæc ante, non post fatum, Non sic in Scoto. De Scoti morte tempus est certum, nempe ann. 1308. die 8. Nouemb. Certus locus Colonia videlicet, & Franciscanorum Conuentus. Modus tamen, bone Deus, quam mirè euariat apud authores.

Volaterranus Scotum graphijs confossum à discipulis opinatur.

Sabellicus in contemplationem raptum pro mortuo tumulatum.

Nurembergensis in chronico apoplexia mortuum, & sepultum.

Iouius apoplexia correptum, non mortuum, sed eliso capite perditum.

Genebrardus lethargo obsessum, & manibus voratis mortuum repertum in sepulchri gradibus.

LV. Ego tertiam opinionem tolero, reliquas confictas censeo, tum ob nouitatem, tum ob distantiam, ob nouitatem, inquam, quoniam ferè tertio Scoti sæculo natæ sunt: ob distantiam, quoniam Germani scriptores, vt Abbas Tritemius, & author chronici Colonien. nihil tale prodiderunt: Nurembergensis, & Huillelmus Eysengrenius Spirens apoplexiam commemorarunt, reliqua neglexerunt, vt sequenti capite patebit. Nec mirum si Scotici morbi genus lateat, cum etiam plurimorum Principum, & in Regularibus plurimorum Generalium ægritudo prorsus ignoretur.

ignoretur. Quis mihi enarret modum, quo mortuus est Ioannes, seu Gulielmus Varro Scoti præceptor? aut quò obijt Gonsaluus Scoti æuo Generalis? Quanquam & Scotici finis modus non omninò ignotus fuerit, cum in tabula ad sepulchrum antiquitus pendente dicatur, spontanea, nō coacta morte obijsse.

CAP. VIII.

Circunstantiæ Scoticæ mortis refelluntur.

Matenesius. *Qui de in morbi violentia cessante ad se reuersus, pulsato frustra sepulchro, & miserabili mugitu edito, elisoq; tandem capite periit Coloniæ. Cui aliquis Poetarum, &c.*

Quod nulli vnquam hominum accidit, Viator, &c.

Latomus aliud addidit.

Quacunq; humani fuerant, iurisq; sacrati, &c.

VEGLENSIS.

Falsorum aliqua sunt aperta, aliqua occulta: sed eum, qui fallitur in apertis, quis credat in occultis de re eadem non falli? Epitaphium Scoticum est Coloniæ præsens & apertum: & in eo defecisti; Acta Scoti intra sepulchrum occulta, & præterita: & in eis non deficies? Si annum in Bzouio correxisses, locum appinxisses verum, falsò remoto epitaphio genuinum subiunxisses: tunc demum, apud lectores, quam huic figmentum fidem optas, comparasses. Non permisit veritatis mater, non filius veritas, tam pulchris coloribus falsum exornari. LVI.

Falsum vero esse ostendam tum affirmando, tum negando id, quod narratur. Negando primùm: propterea quod historici de aliqua scribentes persona in primis notant, quæ illi contingere rara summa, LVII.

hor-

horrenda. Sed quam horribile bis mori? viuentem sepeliri? reuiuiscentem sese interficere? sepultum diù opem implorantem non adiuuari, idque à fratribus, quorum in chorum (tu enim in choro tumulatum aiebas) frequens accessus, diuturna mora? Nunc ergo produc in primo sæculo Scoti, hoc est à nato Christo 14. aliquem tantæ, tamque atrocis calamitatis testem historicum: produc ex altero sæculo ab anno supra millesimum quadringentesimo ad quingentesimum aliquem assertorem. Aut summa scribentium de Ioanne Dunsio negligentia, aut Iouiana hæc narratio falsa. Scripsere verò de Scoto aliqua ipsius discipuli. Vnde efficacissimum erumpit argumentum: quòd Guglielmus Okam, acerrimus Doct. subt. insectator, qui nullam doctrinæ Scoticæ partem labefactare non tentauit: nunquam tremendum istud funeris genus de Ioanne Scoto commemorarit, quod legerim; sed qui manibus, & pedibus, velis, & remis, equis, atque quadrigis Scotum subuertere conatus est; potentissimum hoc tormentum, & robustissimum neutiquam fuisset omissurus. Hoc vnum me super omnia à teterrimo hoc mortis genere abducit. Scripsere item Anto. Andreas, Bartholomæus Pisanus, Memoriale ordinis Minorum, Archiepiscopus Florentinus, Chronicum Coloniense, & alij plures, quorum nullus tàm truculentum mortis genus commemorat.

LVIII. Affirmando etiam, quod dixi, patefaciam. Primò attestatione publica tabellæ olim ad sepulchrum positæ, cuius hi duo versus considerentur,

Tempora post Christi propria dulcedine lethum
Venit atrox raptim carcere composito.

Raptim nunc, an lethum atrox propria dulcedine venerit in eum, qui grauissimas per angustias adactus sit ad inferendam sibimet violentam mortem.

tem, Mortuus fit Ioannes Dunsius raptim (forsan apoplexia peremptus) spontè ingruente morbo; non refractaria, & violenta occisus nece.

Adducam præterea testes aliquot (etenim non sunt falsorum nubes tàm crassæ, vt omnibus omninò veritatis solem obstruant) veram de Scoti fine ponentes sententiam: oppositam verò negligentes. Ita Posseuinus in apparatu sacro, qui scriptorem actis indagandis plurimum diligentiæ adhibuit, inquit. *Deniq; apoplexia correptus ex hac luce migrauit, die 8. Nouembris 1308. Coloniæ Agrippinæ sepultus in Cœnobio fratrum Minorum. Quamuis à plerisq; existimaretur viuus fuisse humatus. Ferunt enim diem totum, & amplius immobilem interdum sedere solitum sensibus sopitis, mente nimirum rapta in altissimarum rerum contemplatione; atq; ita demum ab hominibus eius rei nesciis festinatò funere pro mortuo elatum.* Attende dicta, aliquid asseruit, aliquid respuit: apoplexia raptum docet, loco, & tempore verissimè designatis, resectis omnibus Iouij appendicibus; mox refert opinionem Sabellici, & relinquit.

Gulielmus Eysengrenius Spirensis in catologo testium veritatis, de Ioanne Dunsone scribit. *Moritur in Agrippinatum vrbe Colonia ex apoplexia anno 1308. ibidem apud Minores sepultus.*

Chronicum Nurembergensis ait de Ioanne Scoto breuissimè id, quod Bergomensis in supplemento, & Appendix speculi Histor. Vincentij Belluacen. lib. 31. cap. 26. ad verbum approbant. *Deniq; apoplecticus interijt, quamuis à plerisq; putetur, quòd viuus fuerit sepultus.* Hic planè cernis, alterum ab authore approbatum, alterum de viui sepultura relatum, sed relictum. Concurrentibus hisce viris in supremo Scoti morbo cum Iouio, suspicor, Iouium, vt fucum faceret veritati, hanc

in-

infirmitatem Scoti recepisse, reliqua de suo confinxisse.

LIX. Nec ab re fore arbitror, si aliquot rationibus priorum historias corroborauero. Prima ratio ex narratis Iouij, Bzouij, & Matenesij prompta est: siquidem communi opinione constricti, communi vulnere petendi. Narrant autem à Scoto sepulchrum pulsatum, mugitum editum. Mugitus bouis, latratus canis: cur ille Scoto ascribitur, nisi vt bos dicatur? Scommata isthæc patimur, & sustinemus. Sed pulsum, atq; gemitum censes ne' auditos, an non? Non auditos? ergo falleris. Auditos? Igitur Scoto ab audientibus, & consolatio, & auxilium allatum. Sanè Francisc. C. Florentin. in versione suppliment. chronic. Italica ann. 1520. ait se legisse, quòd Scotus fuerit viuus è sepulchro eductus, .s. in fabulis quilibet symbolum dat, vt in cænis. At iste sodalis iucundior est, quam Iouius.

LX. Ad hæc astruunt Ioannem Scotum eliso capite perijsse: à quonam eliso? nempe à seipso; nam idem casus agens est in tota constructione subintellectus: pulsato sepulchro, videlicet ab ipsomet Scoto pulsante: miserabili mugitu edito, hoc est ab ipso edente: eliso capite, nimirum à Scoto seipsum elidente, vt scilicet animam, & corpus Dunsij pessundata crederemus. Imò & Ioannes Casus Oxoniensis exlex homo in Summa Dialecticæ perorando, authores, è quibus opus concinnauerat, memorans ait. *Quibus velim addere duos, Scotum, & Burlæum; si elegantula huius ætatis aures non offenderem; sed ferunt, Scotum in sepulchro suum ipsius excussisse cerebrum, suaq; curiositatis iustam luisse pœnam; quare illum vt spinam, & vrticam (quæ nuda ingenia pungunt) aut cautius tractandum, aut prorsus à catalogo veterum delendum esse suadeo.* Hæc est illa conclusio summopere à Scoti aduersarijs expetita: *Deleatur Scotus à catalogo Scriptorum;*

ptorum; quam tamen nec assecuti sunt, nec vnquam se sperent assecuturos. Ex his elucet, Dunsium tanquam crudelissimum sui ipsius homicidam depingi. Profectò percussio casu facta vix, ac nè vix quidem in vrna & arcta, & breui hominem interemisset; sponte igitur iuxta tuam piam misericordiam Scotus sese eliso capite necauit. Ergo volens perijt, tu nolentem dicebas: non respondent vltima primis.

Nunc autem exploratum est, eius, qui sibi mortem consciuerit, & vniuersalius eius, qui cognoscatur in peccato mortali decessisse & corpus, & animam plecti: corpus quippe è sacris locis eijciendum, & si iniectum sit exhumandum, anima sine vlla Ecclesiæ precatione, aut propitiatorio Missæ sacrificio relinquenda. Si quis verò præsumpserit vel corpus in sacro retinere, vel pro anima sacrum offerre, is diuinæ maiestatis reus, & ecclesiastico mucroni subiectus fuerit. Iam verò pro Scoto sacrificijs annuatim litatum, agnumque immaculatum Sanctissimæ Trinitati oblatum fuisse non est ignotum ei, qui legit in sacrario nostro librum complectentem eos, pro quibus anniuersaria commemoratione precabantur, & precantur fratres. Corpus item Scoti non modò non expulsum è sacro loco à Patribus nostris, sed in medio choro repositum, ac editiori monumento cohonestatum intuemur. Quamobrem alterum pronunciare te oportet, Matenesi, vel omnes quotquot fuerunt fratres conscij (ecquem insolens istud monstrum latuisset?) maximè superiores, prouinciales, & guardianos Dei, & Ecclesiæ scita abiecisse, inque illo scelerato facinore defunctos esse; vel neminem fratrum eius rei conscium extitisse. LXI.

Tertiam rationem subnecto. Scotus non in vrna, seu arca vacua primitus fuit sepultus; sed coopertus LXII.

terra,

terra, siue humo iniecta contentus vsque ad sepulchri nobilioris ædificationem; nam ei arca nondum extructa fuerat, igitur expectandum saltem, donec fieret. Da hoc esse verum, tota ruit Iouij tabula: non vocare, non pulsare, non elidere, imò neq; ad se reuerti poterat. Tellus ipsa contectis animam rapere non restituere solet. Esse verò Scotum terra obrutum elucescet, tum ex consuetudine religionis nostræ, qua fratres obarctam paupertatem, & liberum mundi contemptum immediatè cooperiebantur terra illo tempore. Tum secundò ex more à mendicantibus recepto sepeliendi fratres sub terra, cuius instituti etiam in præsentiarum, & memoria, & consuetudo extat in prouincia Coloniæ. Sic autem sepeliuntur nostrates in Coloniensi prouincia; corpore in foueam posito, superior conuentus benedictionem impertit corpori, requiem ipsius animæ desiderat: mox tegitur vultus aut capuccio, aut velo, tum superior ligone ter inijcit humum, tumulant vespillones deinceps. Hoc modo iure puto vel maximè illo æuo, Ioannem Scotũ sepulturæ traditũ.

LVIII, Robustius euincitur, quia neque nostro tempore vllum fratribus condendis concameratum sepulchrum in capitulo, ecclesia, vel cæmeterio Coloniensi Franciscano inuenitur: vnde tot lectores, tot doctores, tot ministri in mortuorum tabulis annotati, ante, & post Scotum humati, sufficienter indicant, ipsum quoque fuisse humatum. Tamensi verò & Scoto, & alijs lapides honoris causa superpositi fuerint: nullius tamen sepulturæ vacuæ vestigium in Colon. cœnobio Minorum deprehendi. Imò quod non leuem adijcit fidem, neque hoc nobilius, atque excelsius bustum vacuum erat, in quod Scotus translatus fuit: sed in paruo vase lapideo ipsius ossa collecta, & partim consumpta seruabantur sub terra; vt numero 53. dixi. Cum itaque nec

ſepulcrũ commune vacuum habuerit, nec peculia e, ſiue ſecũdũ in medio choro, ſiue pimũ ante ſac iſtiæ introitum vacuum extite it (quod etſi vacuum fingeretu, ſtructuræ tẽpus popoſciſſet) liquet, Scotum in pleno ſepu'tum, non in vacuo. Scrutare Scoticæ mortis quo ad locum, ac tempus circunſtantias, & opinionem de inani ſepu'chro inanem iudicaueris.

Ego, Mateneſi, Coloniæ iſta p o tẽporis anguſtia, LXIV
& mearum virium tenuitate obſeruaui. Vltra non poſſum. Tu itaque vir e uditiſſimè ſcripta, chronica, monumenta ſæculi quartidecimi conſule in Archiuijs Archiepiſcopali, Senatorio, Academico, & priuatas quoque memorias excute: Ijs credam, alijs non item; nam qui citò credit, leuis eſt corde. Non poſſum inſtrumentum a'iquod, illo tempore conceptum authoritate pub'ica, demonſtrare, quo docearis Scotum non quo narras modo, extinctum: quinimò ſi ta'e chirographum nanciſceret, illud machinam eſſe aduerſus veritatem excogitatam exclamarem. De alijs mortuis inſtrumenta non fiunt. At quia nihil tale inuenio, tali ratione defunctum nego: ſed iuxta priſcam re'igionis normam ſepultum iudico abſque vllo poſt funera memorando euentu. Nec mea valde refert, ſi Scotus ita vixiſſe, ita è viuis exijſſe credatur; Scotiſta non ſum. Seraphici Collegij Romani D. Bonauent. Baccalaureus fui, ex eo Collegio Doctor prodij, Venetijs Regens S. Bonauenturam declaraui, prouinciæ S. Bonauenturæ miniſter ſum, & doctrinæ S. Bonauenturæ profeſſor; proque B. Bonauentura etiam contra Scotum publicè in Comitijs Generalibus Min. Con. anno *1617*. Romæ coactis concluſiones vtcunque defendi. Scrutare itaque pro libito contra Scotum quæuis, me non affectu, ſed veritate ducendum profiteor. Rumor auditus in vulgo, ex facti veritate penſandus: nam ſi tunc præſentes, & videntes, Scotumque mortuum

D credenborn-

credentes, vti asseris, decepti sunt: quidni & post sepultum Dunsium falli potuere ij, qui eum viuum quamuis post mortem crediderunt? Non isthæc abs te scripta quasi impossibilia respuo, fieri potuisse concedo, facta nego. Postremò ad Epitaphij examen transgredior.

CAP. IX.

Epitaphia Scotica expenduntur.

VEGLENSIS.

LXV. SEpulchrum Ioannis Duns Scoti Doctoris subtilis, in chori medio Franciscanæ Ecclesiæ Coloniensis à terra eleuatum vnius palmi mensura, vel paulò amplius visitur; in cuius tegumento ex ære, vel auricalcho affabrè insculpto cernitur Ioannis Scoti imago, sub cuius pedibus hexasticum sequens est incisū.

Ante oculos saxum Doctorem deprimit ingens,
Cuius ad interitum sacra Minerua gemit.
Siste gradum; lector, fuluo dabis oscula saxo:
Corpus Ioannis hac tenet vrna Scoti.
Anno milleno ter CCC. *cumq; adderet octo*
Postremum clausit letho agitante diem.

Istud est omnibus expositum epigraphe: alterum antiquius antea retuli ad num. 52. Iam tua cænotaphia, imò Iouiana considerentur.

Primum Epitaphium.

Quod nulli vnquam hominum accidit, Viator,
Hic Scotus iaceo, semel sepultus.
Et bis mortuus: omnibus sophistis
Argutus magis, atq; captiosus.

Secundum Epitaphium.

Quæcunq; humani fuerant, iurisq; sacrati,
In dubium veniunt cuncta, vocante Scoto.
Quid? quod & in dubium illius sit vita vocata,
Morte illum simili ludificante Strophα?

Quum non ante virum vita iugularit adempta, LXVI.
Quàm viuus tumulo conditus ille foret.

Confer, Matenesi, epitaphiũ epitaphio, & an verè scripseris, intuere. Poetas falsũ cogitatò canere, clarum: cũ epigrãmata se supra Dunsij sepulchrũ affixa cantẽt, cui nunquã affixa, neq; affigẽda lucẽ clarius Ianus agnosceret. Tu bone vir, ꝙ ad laudẽ publicè expositũ, taces; ꝙ ad vituperiũ occu tè cõpositum, quasi tuba clangis, mundoq; videndũ exponis. Ne excuses te ea, quæ in Bzouio, exarasse; Si ea dũtaxat, nil mihi, & tibi. Cur vrbem, Ecclesiam, chorũ scripsisti, quæ nõ scripsit Bzouius, cænotaphiũ nequaquã? An quia epitaphiũ verum lædit multa falsa. Conuicti sunt erroris Bzouius, & Matenesius sola tumuli superscriptione relata. Loci veram circũstantiã expressisti, epigraphe suppressisti; nimirũ ne falsitas detegeretur, suppressa inscriptio: vt veritas opprimeretur, expressus locus. O grauem veritatis iniuriam, de veritate contra veritatem pugnare. Verumtamen veritas magna, & fortior præ omnib⁹. Veritas manet, & inualescit in æternũ, & viuit, & obtinet in sæcula sæculorũ. Benedictus Deus veritatis.

Carmina libro: quàm modesta vera in laudando? Lxvij. quàm procacia falsa in vituprãdo? Primum tuũ epitaphiũ canit (ferali bubonis vlulatu) Ioannem Scotum letho super omnes homines infelicissimò corruisse, atq; in doctrina super omnes sophistas captiosum extitisse. Leue erat Doctori detrahere, ni & doctrinæ detraxisset, itaq; parentẽ, & prolem quatuor versiculis iniquissimè transfixit Ianus. Latomus cãtat Scotũ omnia in dubiũ vertisse, ob idq; vitã eius in dubiũ vocatã; & in prima parte ipsũ hæreseos notat, dum de sacrato iure dubitantem explicat, in secunda mortuo illudit crudeliter; ne viuo fidem; mortuo famã relinquat B. Virgo Doctoris subtilis tutelaris viderit.

LXVIIJ. Nostrum epitaphium sua puritate suæ veritatis candorem demonstrat, & ait: ad Doctoris subtilis interitum sacram sapientiam, hoc est, sapientes gemere; quid fastosum, aut turgens? Vin' hoc verum esse retegam? Breuibus. In nullo Concilio Generali, aut Prouinciali Scoti Theologicæ disputationes in fide damnatæ. Hoc solidissimum est doctrinæ tum sacræ, tum sanæ documentum. In Parisiensi vniuersitate nunquam erroris notata sunt Scoti Diuina, vel humana dogmata; id vero paucis concessum. Veraces igitur, ac defæcatæ sunt subtilis antesignani elucubrationes. Quis ergo tanti Doctoris fato arrepti, obitum non deploret? Deplorari autem à sapientibus, qui eundem in celeberrimis Vniuersitatibus, vt Romæ, Patauij Compluti, Papiæ, Parisijs, & alijs quoque interpretantur, est in confesso; vt interim de Minorum Religione taceam. Apertissimum pariter est, Scotistas tanto erga suum præceptorem amore accendi ob admirandas veritates eru tas, vt nequeant se continere, quin Scoticum saxum osculentur, venerentur memoriam, & animæ illius in æternum optent collætari.

Collectio.

LXIX. Hisce, quæ scripsisti, Matenesi, pro temporis angustia, & virium imbecillitate perpensis: superest, vt quod feci, æqui, boniq; consulas. Verùm antequam calamum deponam, operæ pretium me facturum reor, si quæ pertractata sunt, vno quasi obtutu videnda obiecero, vt quale de tuis scriptis iudicium factum sit, tu, atque omnes agnoscant.

1 *Anno 1294. obijt Scotus*	*falsum.*
2 *Cælestino V. Pontifice migrauit*	*falsum.*
3 *Adolpho Rege Romanorum*	*falsum.*

4 *Ioann-*

4	*Ioannis Scoti cognomen Duacius*	*falsum.*
5	*Inuitus, & nolens ex vita exijt*	*leuius iudicium.*
6	*Scotinos passim dictus*	*falsum.*
7	*Omnia in dubium vocat*	*falsum, & calumniosum.*
8	*Cum in dubium omnia vocet, eius quoque vita in dubium vocata*	*falsum, & suspectum in fide.*
9	*Vita Dunsij vocata in dubium*	*falsum.*
10	*Non exanimis putatus exanimis*	*falsum.*
11	*Scoti funus nimis festinatum*	*falsum.*
12	*Ad sepulcrum Scotus in chorum delatus*	*falsum, aut incertum.*
13	*In sepulchro ad se reuersus*	*falsum.*
14	*Miserè mugijt sepultus,*	*falsum, & fabulosum.*
15	*Sepulchum pulsauit,*	
16	*Eliso capite perijt*	
17	*Epitaphia duo hæc apposita*	*falsum, & ipsa falsa.*

Meorum de tuis assertionibus iudiciorum proba- LXX.
tiones datæ superius: tu autem rem totam sine ratione, vel authoritate exposuisti, quod minus decet. In historico veracitas, in epitomatario fidelitas desiderantur: Et quoniam his te oblectari sentio, idcirco illas obieci. Dole te lapsum, non subleuatum. ne medicum oderis, qui medelam apponit; suauiorem mallet, at pro qualitate vulneris, & proficuam, & mitem. Memento te aspersisse Ioannem Scotum stygia hæresis caligine, dum eundem de rebus fidei dubium accusasti. Nulla viro Christiano atrocior iniuria, nulla minus toleranda. Ne quæso, per te ferat Scotus, quo minus gloria, quæ ipsum trecentos, & amplius annos exornauit, vsque ad mundi rogum prosequatur, & vltra. Prima veritas omnis

fons veritatis nos veritates ceratas edoceat, seque summam veritatem nobis tandem reuelata facie speculandam largiatur.

* * *

FINIS.




APOLOGIAE PRO IOANNE DVNS SCOTO DOCTORE SVBTILI.

LIBER SECVNDVS.

IN ABRAHAMVM BZOVIVM Polonum.

AVTHORE
Matthæo Ferchio Veglensi.



NE transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt partes tui, diuina intonat voce Deus: meque ne limites transiliam, quos tu Abrahame charissime, transilijsti, aureo charitatis fræno compescit. Patres nostri, quorum vtinam dignæ simus proles fuere S.Dominicus, & S.Franciscus,duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum, duæ oliuæ oleum superni amoris stillantes,duo candelabra lumine sacræ scientiæ micantiæ, quibus exornati diuinitus R.S.E. perpetim illustrarent. Hi præclariorum Parentes Religionum, nobis,quos in Christo genuerunt, vias atque semitas Domi- *Prou. 22. 1.* *Apoc 11.*

ni demonſtrantes, pro ardentiſſima, qua in alterutrum dilectione flagrabant, fines, quos prætergredi fas non eſſet, præſcripſerunt, dilectionem, amorem, charitatem. Nam cum, Deipara Virgine reuelante, B. Dominicus ad reſtinguendum Dei, ac Domini Noſtri Ieſu Chriſti furorem feruentiſſimum, fuiſſe delectum ſibi conſortem B. Franciſcum agnouiſſet, eumque deinde Romæ in Baſilica Principis Apoſtolorum inueniſſet (præſtat S. Antonini verbis in 3. par. titul. 23. cap. 3. §. 1. diſſerere) *in oſcula ſancta ruens, & ſinceros amplexus dixit. Tu es ſocius meus, tu curres pariter mecum, ſtemus ſimul, & nullus aduerſarius preualebit. Viſionem etiam narrauit illi. Ex tunc ergo facti ſunt cor vnum, & anima vna in Domino. Quod etiam in poſteris* (obſerua Bzoui) *mandauerunt perpetuò obſeruari*. Quamobrem Franciſcanus Dominicanum, atque Dominicanus Franciſcanum omni officio ac pietate, omni ornamento ac laude, omni auxilio ac præſidio, fouere, proſequi, protegere debet, vno animo, & vno corde.

II. O vtinam id præſtitiſſes, vtinam obtemperaſſes: neque enim Dominicanus Ioannem Dunſium Scotum Franciſcanum: imò Franciſcanorum Doctorem in tuo Annalium opere ſub anno 1294. vexaſſes: quem mortuum, iam olim ſepultum excitaſti, quietem eius trecentenariam perturbaſti, gloriam eius longè lateque micantem obnubilare tentaſti. Non tibi hæc imputem, ſed ijs quos ſecutus es: & ſi tibi hoc, quòd alios in Franciſcanum Scotum, non te Dominicanum conuitia repetere voluiſſem: quæ ab alijs etiam ſcripta examinaſſes, & examinata reprobaſſes: vel ſi reprobare non poſſes, aut non velles, ſuppreſſiſſes, optaui.

Hoc Chriſtianum, hoc Religioſum, hoc Dominicanum, maximè ergà Franciſcanum decet. Non hortor ad mendacium, abſit: aliud eſt falſum dice-

re,

re, aliud verum tacere. Sane multa in Annalibus abs te non negabis prætermissa. Inter hæc, si & ea, quæ de Scoto scripsisti, præterijsses, eo quòd amico parceres: nemo iustè reprehenderet. Atqui aliter factum est vnde,& mihi aliter agendum,enitendũq; vt in viam redeas.

III. Duabus autem de causis potissimum emisso in lucem libro amplissimum fructum spero me consecuturum: altera vt ne dum te,sed etiam lectores tuos tàm præsentes, quàm futuros ad veriora, melioraq; Scoto sentienda deducerem, quos ob loci,ac temporis angustias viua voce monere non est possibile: altera, vt Doctorem Doctorum Religionis Minoricæ libro publicè notatum, libro itidem publicò emacularem,vel potius à qualibet nota immaculatũ ostendere conarer. Prior causa Abrahamo optatam affert veritatem posterior Ioanni iustam defensionem: hoc pietatis est,vt ignoscas pro Scoto scribenti illud amoris,vt etiam redames veritatis allatorem. Tibi præclara de D.Thoma viro.vsquequaque celeberrimo ad annum *1274*.peroranti gratulor,& quem laudas,collaudo: nam,quæ laus Doctoris Angelici meritis, & scientiæ potest æquari? Vicissim expeto,vt me laudante Scotum, tu quoque collaudes, meamq; in ipsum reuerentiam,amorem,pietatem non impro-bes.Certarunt illibata,& inextincta charitatis flamma Paulus, & Barnabas, Hieronymus, & Augusti-nus, atque ita reor, Aquinas, & Scotus. Fuit is doctrinæ æmulator Angelicæ ad veritatem, non ad inuidiam.

Act. 15 *tom. 2.* *Hieron. epist. 89 & 93. & 97.*

IV. Ne quæso, qui Scotum ferire tibimet concessisti neges mihi Scotum defendere.Te verò id libenter largiturum animi tui candor pollicetur, & tua fidere iubet gratitudo. Gratitudo vtique, nam in tuis ad Imperatricem orbis panegyricis eandem ab omni originariæ labis noxa immunem prædicas: cuius

pijssimæ

pijssimæ opinionis in te lactea fluenta è Scoti limpidissimo fonte promanarunt. Immaculatam Deiparæ Conceptionem sensit & piè, & verè Scotus, sentis tu quoque verax,& pius. In eiusdem conceptionis luce sub Reginæ bellatricis clypeo pro bellatore suo scribere exordior,quò te ad beneficium beneficio compensandum excitem, atque ad ea, quæ in Scotum scripsisti meliore stylo pro Scoto, elucubranda. Sed quæ in ipsum exarasti, recognosce: singula referam, mox eadem amicè excutiemus. Quod vt sanctius fiat nouo sancti amoris fœdere percusso, faustissima Iesu,& Mariæ nomina inuocemus.

Abrahami Bzouij Narratio in Annalium Ecclesiasticorum tomo 13.

Iesu Chri annus 1294.

Cælestini V. an. 1. Adulphi Regis Rom. an. 3.

V. Hoc anno volens nolens ex humanis abijt Ioannes Dunsius, natione Scotus ex Minorum familia, Alexandri Alensis Britanni quondam in gymnasio Lutetiæ auditor, vir admiranda subtilitate eruditionis,ob profundissimam dicendi,scribendique obscuritatem Scotinos, idest tenebricosus, quod olim obscurissimi Anaxagoræ cognomen fuit cognominatus: & ob nouam Scholasticæ Theologiæ sectam de nomine suo dictam, omnibus longè notissimus. Scripsit,præter logicas difficultates,commentarios in Euangelium,in Apostolum,& in Magistrum Sententiarum, quibus aliquis illud carmen, quod ex tractatu Ezechielis Prophetæ visioni cuidã diuus Hieronymus præposuerat,subscripsit.

Hic labor. illa domus, & inextricabilis error.
Vt quondam Creta fertur labyrinthus in alta,
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq;
Mille vijs habuisse dolum, quo signa sequentum
Falleret indeprensus, & irremeabilis error.

Iure

Iure merito emblematis loco istud epigramma eius operibus præfixum,nam omnia,quæ scripsit,dixitq; adeò sunt densis tenebris damnata, vt vix in eius schola detritis appareant.

VI. Paulus Iouius elogio adiuncto virum ornauit. Nemo,inquit,eorum,qui non insano Christianæ pietatis amore flagrantes vltro sese cœnobijs in seruitutem addixerint, Ioanne Scoto in grauissimis studijs aut acrior,aut subtilior fuit,quum admirandis commentationum voluminibus editis, nouam de nomine suo sectam conderet,& in Aquinatis scripta non dissimulanter inueheretur. Natus est in vltima Britannia ad Calydoniam Syluã, vt minus mirum sit,Anacharsim summæ sapientiæ philosophũ apud vecordissimos Scythas crasso,atq; ingenijs excolendis importuuo cælo, patriam habuisse. Verùm hic proteruo,captiosoque disserendi genere Christianis dogmatibus illusisse videtur, quum passim inducta quæstione dubitabundus sacrarum rerum fidẽ nequaquam tenui figmentorum caligine confudisset. Seuit enim ideò lites immortales, quando eius placita vel grauiter ab aduersæ sectæ professoribus oppugnata,ex aduerso ab eius discipulis acerrimè defendantur. Sed qui aliquot præclara eius ordinis ingenia ad optimam frugem nata, distorto scilicet ad veritatem itinere, suspendisse,perdidisseq; videtur, manifesti, aut certè occulti alicuius criminis, apoplexia,correptus,pœnas persoluit: ita quidem, vt nimis festinato funere pro mortuo tumulatus, quum redeunte vita serò morbi impetũ natura discuteret,frustra ad petẽdam opẽ miserabili mugitu edito,pulsatoq;sepulchri lapide,eliso tandem capite,perijt.Aliquis poetarum epitaphium illi panxit,

Quod nulli vnquam hominum accidit; Viator,
Hic Scotus iaceo, semel sepultus,
Et bis mortuus: omnibus sophistis
Argutus magis, atq; captiosus.

Lato-

Latomus addidit aliud epitaphium.

Quæcunq; humani fuerant, iurisq; sacrati,
In dubium voluunt cuncta, vocante Scoto.
Quid? quod & in dubium illius sit vita vocata,
Morte illum simili lud ficante stropha?
Quum non ante virum vita iugularit adempta,
Quàm vnius tumulo conditus ille foret.

VII. Sed in eum alij hæc luserint: ego virum vel hoc nomine laude dignum duxerim, quod sensorũ subtili profunditate occasionem ingenijs obtusioribus protulerit, qui se attolerent ad arcana recondita tum acri oculo peruestiganda, tum acri voce, & calamo ab aduersarijs fidei catholicæ defendenda; namque horum non modica seges, & si omnium sæculorum temporibus, vel hoc tamen præcipuè postquam Rai mundus Lullius perditæ memoriæ homo scholam erroribus ante triginta, & oliquot annos aperuisset. Tenebris Cimmerijs damnanda sunt, quæ tenebricosus ille errorum magister inter mysteria proposuit: quibus eludendis, eludendisque post Aquinatem solem tum Ioannes Scotus, tum eius disciplinæ addicti Minoritæ, plurimum lanceati luminis attulere.

Hæc tu Bzoui.

VIII. AGgrediamur iam susceptum opus, & quo iucundius sincerum tuum cor rapiam, dum corripio, rem tibi optatissimam, quam omnis terra, atque cælum inuocat, veritatem, offerre connitar. Trahit sua quemque voluptas, voluptas historici veritas. Hæc sol gemma, fons menti tuæ. Hunc solem, quasi Clitia sequeris: hunc magnetem; ceu ferrum deperis: hunc fontem, vt ceruus telo ictus inquiris. Hunc in Scotica historia pro posse referabo. Ac primum lego, sed non intelligo, qua ratione authori Annaliũ annum errare licuerit. Quilibet scriptor eniti debet opus titulo consentaneum excudere. Annorum ordinem digerere tuum erat, an digesseris, disquiramus,

mus. Ioannem Duns ex humanis abijsse asseueras anno Christi 1294. Item Cælestini V. anno 1. Adolphi Romanorum Regis anno 3. Cum neque illo anno, neq; illo Pontifice, neq; illo Rege diem clauserit. Sed quia per partes ad totum venitur, veram annorum summam Scoto adeptam per partes ostendam.

Et primo quatuor annorum. Nam Bonifacius Octauus Cælestini V. successor anno 4. sui Pontificatus edidit librum sextum decretalium, prout ex fine eiusdem libri sexti constiterit. Annus verò Bonifacij Quartus, te ipso teste, in annum 1298. incidit. Quòd si Scotum legisse prædictum librum ostendero, ante quatuor annos non fuisse mortuum demonstrauero. Lege itaque Scotum in 4. sent. dist. 6. q. 8. scribentem. *Et Bonifacius VIII. in proœmio sexti libri mandat, quòd de constitutionibus editis à tempore Gregorij IX. vsq; ad tēpus suum illæ solæ habeant robur, quæ ibi inserta sūt.* Prætereà in 4. dist. 25. q. 1. & d. 30. q. 2. necnon d. 42. q. 1. sæpiusq; aliàs librū sextū decretaliū citat Scotus. Quare vel Dunsius post annū 1298. vixit, vel sextum decretalium legit, & 4. sentent. scripsit, postquam eliso capite mortuus occubuerat. Obseruauit istud ipsum Nicolaus de Orbellis Scotista, neque nouus, neq; vilis in 4. sentent. dist. 25. q. 4. §. 4. dicens. *Bonauentura fuit ante sextum decretalium: Scotus verò post sextum, & ante septimum: vnde quandoq; allegat ipsum sextum in 4. sententiarum.*

Secundo alios duos adde ad summam annos ex Doctoris subt. testimonio, qui in 2. prologi quæst. §. de septimo, inquit, *Si obijciatur de permanentia sectæ Machometi: Respondeo, illa cæpit plusquam sexcentis annis post Legem Christi, & in breui Deo cooperante finietur: quæ multum debilitata est anno Christi 1300. & eius cultores multi mortui, &c.* Si percontēris, de qua clade mentionem fecerit, quanquam id sit præter rem, tamen vt hunc Scoti locum illustrem, & efficacius IX.

cius illo anno vixisse confirmem: recensebo, quæ collegi ex libro, cui titulus est, Compilatio Chronologica ab initio mundi vsque ad annum 1473. ex Germanicarum rerum scriptoribus. In eo libro sub anno 1300. hæc legi. *Anno Domini 1300. dum Ciuitas Accon, & tota Terra sancta in potestate Gentilium steterit VIII. annis, Rex Tartarorum nomine Gazan potenter cum suis, Rege Armeniæ ipsum adiuuante, terram sanctam vsq; Damascum hostiliter acquisierunt, in duobus conflictibus LXX. millia hominum gentilium ad arma valentium occiderunt; præter reliquum populum, cuius numerus non poterat determinari. Idem Rex Tartarorum à Natiuitate Domini vsq; ad Maium permanens in Damasco potenter mittens suos solemnes Nuncios Summo Pontifici Bonifacio petens, & desiderans, vt omnes Christiani aduenirent terram sanctam accipiendo, &c.* Sed siue hoc, siue aliud prælium Dunsius innuat, se post mortem abs te illi assignatam, sextum annum vixisse demonstrat.

X. Tertio quinque insuper annos adiudicare Scotò debemus: si quidem ex Platina post Cælestinum V. accipiente, ac deponente claues Petri an. 1294. eod. anno, die 24. Decēb. Bonifacius VIII. electus est, qui obijt an. 8. mēs. 9. die 17. nēpe an. 1302. Sufficitur ipso eod. an. 1302. Kal. Nouēb. Benedictus XI. qui decessit anno 1303. nonis Iunij. Mox inter pontificium sequutum est vsque ad nonas Iulij anni insequentis 1304. tum verò Clemens V. assumptus, qui clauum liquit Ecclesiæ anno 8. mense 10. Nunc Ioannem Scotum consulamus in 4. dist. 25. q. 1. de quodam illegitimo differentem in hæc verba. *Vnde Benedictus XI. cum quodam tali sine dispensatione ordinato, & in ordinibus ministrante, postea faciliter dispensauit: sicut ipse vidi Bullam dispensationis.* Vixit ergo sub Benedicto XI. vixit anno 1303. Sint Scoti opera, vt vis, inextricabilis error, tres extricant errores: primum de

de tempore, quia lucem non amisit anno 1294. secundum de Pontifice, quia Cælestino Bonifacius, Bonifacio Benedictus, Benedicto Clemens V. successit, sub quo Ioannes Dunsius defunctus est: tertium de Rege Adolpho, nam Scotus viuebat anno 1303. Adolphus peremptus est iuxta tuam sententiam anno 1299. id quod neque Matenesius in compendio tuorum Annalium probauit. Præterea Petrus Rodulphius in lib. 3. histor. seraph. Relig. renarrat epistolam Gondissalui à S. Francisco Franciscanorum Generalis ministri quintideci dantis facultatẽ recipiendi doctoratum Ioanni Scoto: dataque est ea epistola 1304. 14. Kalen. Decemb. Igitur Scotus anno sequenti 1305. doctor effectus, nam post adeptam lauream doctores Parisienses de quolibet in examine interrogato quæstiones de more scribebant: quales & Scotus tanta perfectione descripsit, vt Scoti flos, Quodlibeta nuncupentur.

XI. Quarto demùm auctio trium annorum facienda, scilicet à 1305. ad annum 1308. quo corpore terris relicto, Dunsij anima euolauit in cælum, quemadmodum testantur.

Ioan. Trithem. Abb. in lib. de scriptor. Eccles. & in Chronic. Hirsaug.

Robert. Bellarmin. in lib. de scriptor. Ecclesiast.

Anton. Posseuin. in Apparatu sacro de Ioanne Duns.

Chronic. Colonien. Germanicè impressum apud Franciscanos Coloniæ seruatum.

Francisc. Gonz. in lib. de orig. Francisc. part. 1.

Genebrardus lib. 4. Chronographiæ sub anno mũ 1391. cart. 667. editio. an. 1584.

Hartmannus Schedel Nurembergen. in Chronico.

Girard. Mercat. in Athlante de Scotia.

Gulielm. Eysengren. in catalo. testium veritatis.

Iacob.

Iacob. Gualter. in tabu chronogra. in 13. sæcu.
Ioan. Rioche in compendio temporum lib. 4.
Petr. Rodulph. Tossin. lib. 3. histor. seraph. relig.
Denique Sixtus Senensis in Bibliot. Sancta tom. 1. lib 4. Scotum asserit mortuum ann. 1308. quem tui ordinis authorem, si legisses, profectò non errasses, nisi volens. Referam Sixti verba, *Ioannes*, inquit, *Dunsius, natione Scotus, ex Minorum familia, Alexandri Alensis Britanni quondam in gymnasio Lutetiæ auditor; vir admirandæ eruditionis subtilitate præditus, ob profundissimam dicendi obscuritatem, Scotinos, idest, tenebricosus, quod olim obscurissimi Anaxagoræ cognomen fuit, cognominatus, & ob nouam scholasticæ Theologiæ academiam de nomine suo dictam omnibus scholis notissimus.* In fine. *Claruit anno Domini 1308.* Tu autem Bzoui scribis. *Ioannes Dunsius, natione Scotus, ex Minorum familia, Alexandri Alensis Britanni quondam in Gymnasio Lutetiæ auditor, vir admiranda subtilitate eruditionis, ob profundissimam dicendi scribendiq; obscuritatem Scotinos, idest, tenebricosus, quod olim obscurissimi Anaxagoræ cognomen fuit, cognominatus, & ob nouam scholasticæ Theologiæ sectam de nomine suo dictam, omnibus longè notissimus, &c.* Quid si, & nos duos recitatores constitueremus, ex duobus codicibus, videlicet Bibliot. Sixti, & Annalibus Bzouij alterna de Scoto capita conferentes (vt in oratione pro A. Cluentio M. Brutum, & L. Crassum fecisse Cicero tradit) nonne audiremus vtrinque eadem verba resonare? Senensis, & Poloni contextus est idem. Cur principium suppresso Sixti nomine sumpseris, finem omiseris, nescio.

XII. Timorem tamen ingerit ordo abs te seruatus in 1294. anni descriptione. Nam bonum commune totius Ecclesiæ, & Capitis priuato Scoti, & Scotistarũ præponendum: & in primis Annalium Ecclesiasticorum authori, cui nil actis Ecclesiasticis antiquius esse debet. At 1294. Petrus Moronus ex eremo ad

Petri

Petri cathedram euehitur, incredibili populorum affluentia coronatur: summa humilitate summam dignitatem deponit, ingenti cum suspicione criminis Bonifacius VIII. suscipit: res tum dignitate, tum raritate maximæ. Sed Scoti actis postponuntur: forsan ne lector tantarum mole rerum fatigatus Scoticam vilitatem præteriret. Non sic inueni præpositas, vel semel Sanctorum Francisci, Bonauenturæ, Antonij, Ludouici, Claræ, aliorumque Franciscanorum Martyrum, Confessorum, Virginum laudes 13. sæculo glisсentes. Itaque primas obtinent Minoritarum tenebræ, secundas gesta Ecclesiæ, tertias Minoritarum claritas. Casu factum crederem, si de Minorum regula, vel religione castè, integreq; tractares.

XIII De regula Franciscana scribis, quum 1216. nu. 11. narras BB. Dominicum, & Franciscum, suarum religionum approbationem ab Innocentio III. flagitasse, ac ab eo dimissos fuisse ad vitæ formulam eligendam. Porrò regulam, S. Francisco rogante, ab Honorio III. anno Pontific. VIII. 3. Kal. Decemb. confirmatam doces in annum 1224. Cum ex aduerso B. Franciscus vel duas regulas confirmari obtinuerit, vel bis eandem: secundò prout rectè animaduertis, ab Honorio III. primùm ab Innocentio III. vt ex Franciscanis Chronicis, ex Firmamentis trium ordinum, Hugone in expos. reg. S. Franc. constat, & iuxta Eman. Roder. tom. 1. q. 2. ar. 3. Confirmatio primæ regulæ ab Innocent. III. fit anno 1212. secundæ regulæ ab Honor. III. anno 1224. Verum & à me tribus comprobabitur testibus, vestrate, nostrate, atque omnium communi doctore.

Primus testis erit B. Antoninus 3. par. tit. 24. c. 2. in principio ante primum §. *Quibus*, inquit, *Papa Innocentius 3. de confirmanda regula dans consensum, & si nondum solemniter confirmata, & de pœnitentia prædicanda mandatum, cum gaudio illos dimisit.* nimirum Franciscum, & socios. B Se-

Secundus S. Bonau. in legenda S. Franc. c. 3. de confirmatione per Innocentium 3. loquens ait, *Approbauit regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, & laicis fratribus omnibus, qui seruum Dei fuerant comitati, fecit coronas paruulas fieri, vt verbum Dei liberè prædicarent.*

Tertius omni exceptione maior Honorius 3. testimonium perhibet in eo diplomate, quo regulam Minorum confirmauit, dicens. *Ordinis vestri regulam à bonæ memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro approbatam, annotatam præsentibus, authoritate vobis apostolica confirmamus.* Ne, quæso, dicas D. Franc. ad regulam, seu vitæ formulam eligendam dimissum: nam hoc, vt facile de Beato Dominico concesserim, ita facilius de B. Francisco negauerim.

XIV. De Religione Minorum iam rimemur. Prima mentio, quam de Francisci asseclis in tuo reperi libro, est ad annum 1213. num. 12. per os diaboli facta ad interrogationem S. Dominici. Anno verò 1215 num. 16. Franciscus per os tuum vndecim socijs stipatus describitur. Anno 1217. num. 9. te assertore, Deus Franciscum consolatur mærentem ob suorum fratrum in obseruantiam nu. 10. Carnalis quidam B. Franciscum subsannans refertur. Anno demum 1218 describis ingressum Bernardi Quintauallis primi socij S. Francisci, atque primi omnium Minorum fratrum in religionem, mox accessionem secundi Petri Catanei; tum tertij, quem num. 14. vocas B. Moricum: qua in re tria notabo. Primùm, quòd sub anno 1215. num. 16. Franciscum vndecim socios habuisse scribis, quibus comitibus anno 1216. ab Innocentio 3. religionem approbari postulasse, testaris: quum anno 1218. nullum adhuc habere, sed per id temporis primum, secundum, ac tertium acquirere religiosum, describas. Si solum 18. acquirit anno primum, qui sunt illi vndecim priores primo?

Secundum, quod B. Morico inter D. Francisci socios locum tertium vendicas, cùm ille neq; in duodecim sociorum numero fuerit. Tertius sanè non fuit. Bartholomæus de Pisis in Conformit. car. 46. col.4. scribit. *Frater Ægidius sanctæ memoriæ de Assisio, qui fuit tertius frater, filius, & socius B. Francisci.* Astipulatur S.Bonau. in legenda S.Franc.cap.3. *Filiorum*, inquit, *Francisci senarius numerus completus est, inter quos tertium sortitus est locum S. Ægidius vir vtique Deo plenus.* Nec aliud in Chronicis Franciscanis, aut in libro prænotato Firmamenta trium ordin. reperies.

Tertium, quòd futuram plurium Minoritarum reprobationem à diabolo prædictam narras, fratres inobseruantes prædicas, petulantiam irridentis Franciscum demonstras, quum nullum haberet fratrem, si tibi credimus ad ann. 1218. vel saltem nullum tam perditum. Ergo prius Franciscanos prauos fuisse, quàm fuisse describis.

Longè aliter de tuis dixeris, Sed & nos tui sumus. XV.
Non improbo, si Beatum Dominicum, atque Dominicanam religionem gloriosam extollas, sed simplicitatem eadem iterum, atq; iterum inculcantem miracula. Plura quidem, sed librum quendam in ignem ter iniectum, ac ter illæsum, tu non ter, sed quater commemoras: nempè anno.

1204.	num.	24.
1211.	num.	10.
1213.	num.	12.
1221.	num.	13.

Si hoc pacto paginas implere pergas breui totam vrbem libris tuis refertam videre spero, si Deo placuerit. Imple sanè. Communis est claritas vestra nobis, lætamur: communis obscuritas nostra vobis, tristamur: communis lætitia, communis tristitia, quia commune cor, communis anima. Timui ergo ne sis animo, & corde diuisus à nobis, & malui cũ

1. Machab. 12. Machabæis reuocare fraternitatem, ac amicitiam, ne fortè alieni efficiamur à te, cùm vno animo, & vno corde esse debeamus. Ad institutum reuertor. Scotus lucis vsuram non 1294. sed 14. annis post exoluit. Ad idem antiquitatis monimenta, quæ aduersus Matenesium contribulem tuum attuli, silentio inuoluam, cùm ea tibi ab Vrbe Colonia disiunctissimo nota esse minimè potuerint. Cænotaphio excepto, quod apud Petrum Tossin. abs te an. 1218 citatum, postremis carminibus Scoticæ mortis tempus indicat.

Anno milleno ter CCC. cumq; adderet octo, Postremum clausit letho agitante diem.

Igitur alio anno, alio Pontefice, alio Rege, ac dixerat Bzouius, Ioannes Dunsius defunctus est. Hactenus de tempore. De loco Scotici funeris, quia tu in historia præterijsti, ego quoque prætereo.

XVI. Prosequamur reliqua. *Hoc anno volens nolens ex humanis abijt Ioannes Dunsius.* Hæc Abrahamus. Volens, nolens duo contraria sunt, ambo falsa, aut alterum ad aures Aristot. in 1. c. eorum, quæ post prædicamenta. Logicè ea simul inesse Scoto, est impossibile, grammaticè, insuaue. Nonne si anni quarti, ac septuagesimi supra ducentesimum, & millemum acta scriberem ea syntaxi: *Hoc anno volens nolens ex humanis abijt Thomas Aquinas*, stomachareris? & iure, quoniam beatissimum virum ascendentem in cælum libentissimè, inuitum, atq; reluctantem raptari designarem. Ergo si tetram hanc phrasim in Scoti morte appositam ægrè feram, ne mireris. Naturalis horror mortis, ferendus: liber dissensus, minimè. Ille hominis, hic peccatoris est Dei conspectū fugientis, corporis fæces amantis. Antea duas corporeæ vitæ ætates Dunsio detraxeras, nunc spiritualis vitæ ætatem eripis sempiternam. Volens nolens moritur Dunsius? cur volens nolens? *Piger,*

ger, iuxta Salomonem, *vult, & non vult.* Scotus autem viuidus, solers, ardens, nedum Deo cognoscendo, sed etiam amando. Amando quidem, quoniam soli amori principatum concedit honestatis, delectationis, beatitudinis: beatus in via, in patria eatenus est homo, quatenus Deum amat. Omnia vincit amor, ad Scoti aures. Tantam amori dignitatem non concederet, qui Deum ardentissimè non amaret. Quàm amans, quàm amatus à Christo Dunsius? Ex Chronicis nostræ religionis perspicitur. Nocte scilicet, qua Saluator Euangelizatus, dilectus dilecto, Iesus Christus Ioanni Scoto sese infantis specie tractandum obtulit, futuræ pignus immortalitatis mortali concessit, ac inebriauit torrente cælestis voluptatis. Mira Christi dignatio, mira Scoti dignitas, Ille contracta regni maiestate suauissimum se corporeis obtutibus præbet infantem: iste in ergastulo carnis cælesti fruitur liberatore, ac libertate: atque in illo inexhausto deliciarum oceano inextinguibilem extinguendo accendit sitim diuinæ bonitatis. Ex hac *pragustata superna suauitatis dulcedine dicebat cum Psalmista, Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Quàm ægrè tùm diuulsus à charis amplexibus? Quàm cupidus eisdem perpetuis restitui? Quàm attentus ad vocem clamantis? Ad motum pulsantis Quàm alacer, quàm velox perniciſſimè volauit ad sponsum.

Prou. 18. — *part. 2 lib. 7. c. 3.* — *S. Aug. ser. 44 de san.* — *Ps. 72.*

XVII. Gulielmus Vorilon circa annum Domini 1440. in 2. dist. 44. q. 1. eximium Scoticæ obedientiæ specimen repræsentat. Nam obedientiæ litteris à P. Generali acceptis, quibus Lutetia Coloniam dirigebatur, Scotus continuò obtemperauit. Atque traditio est, cum discipulis percontantibus, cur ante di-

discessum fratres non salutaret, respondisse: Patrem Generalem præcipere, vt Coloniam iret, non in conuentum ad fratres salutandos. O mirabilem Doctoris subtilis obedientiam! O perfectam propriæ voluntatis abnegationem! Penitus iam insederat in Scoti corde illud crucifixi consilium: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Penitus inhæserat concrucifixi præceptum. *Recordentur fratres, quòd propter Deum abnegauerunt proprias voluntates: vnde firmiter præcipio eis, vt obediant suis ministris in omnibus, &c.* Tam obediens Dunsius, tam promptus, tam celer ad nutum hominis mittentis: igitur quam celerrimus ad imperium Dei vocantis properauit. Illic missus ad meritum, volens cucurrit, hic inuitatus ad præmium repente prosiliuit, volensq; ac volans in Domini sui gaudium perpetuò regnaturus intrauit. Ita pie sentio de pio viro, Christiano doctore, Franciscano sacerdote. Si fallor, in meliorem partem pietas inclinat: si non fallor, & veriùs sentio, & suauiùs lætor.

Matt. 13. *S. Frãcisc. in reg. c. x.*

XVIII. Quid autem absterrere te potest, Abrahame dilectissime, ne pius cum sis, de pio doctore piè sentias, Christianè de Christiano, fraternè de fratre? Nihil opinor, nisi peccatum, cuius conscientia Dunsius perterritus, & exstimulatus Deum Iudicem fugere voluerit: sed fugere non potens ad horrendum ineuitabile tribunal volens nolens raptus sit. Verùm si respexeris, quàm seriò peccatorum turpitudinem suis insectetur scriptis, 4. dist. 50. q. 2. quàm grauiter pœnitentiam in extremis taxet, 4. dist. 20. q. 1. illum à criminibus grauioribus vel Dei gratia, suoque nixu præseruatum, vel pœnitentia opportunè subleuatum confitebere. Certè ipsius doctrina solida, & sana est: vitæ institutum sanctissimum, nempe Franciscanum: in quo præceptis Dei seruan-

dis, & votis Deo promissis obseruandis strenuam nauauit operam. Testimonium grauissimum, & authenticum tum in vita, tum post vitam Dunsius assecutus est ad ea ipsa confirmanda. In vita: Gondissaluus Generalis non modo dignitate, sed etiam probitate amplissimus, de Scoto Guardianum Parisiensem in Epistola 1304 data, prius citata, sic affatur. *Dilecto in Christo patrem Ioannem Scotum, de cuius vita laudabili. scientia excellenti, ingenioq; subtilissimo, alijsq; conditionibus suis partim experientia longa, partim fama, quæ vbiq; diuulgata est, informatus sum ad plenum.* Confer in rationis lance testimonium Gondissalui, ac testimonium Iouij, & vtrum præponderet, inspice. Gondissaluus fuit Generalis minorũ vigilantissimus, & optimus, prout Aluarus Pelagius in lib. 2. de planctu Ecclesiæ cap. 67. testis est: Iouius cuius fidei fuerit, atque integritatis, dicat Iustus Lipsius vir nostrorum temporum eruditissimus in notis ad librum polyticorum: cuius item probitatis extiterit, facilius tibi scitu, quàm mihi dictu. Ad Gondissaluum spectabat vigilare super Scoto, tanquam super oue sibi credita, ad Iouium Scotus non attinet. Gondissaluus Dunsio æqualis, Iouius duplici sæculo posterior. Gondissaluus & experientia, & fama Dunsium nouerat, Iouius experientia non poterat, fama se nosse non probat. Gondissaluus Scoticæ sectę non osor, Iouius Thomisticæ assentator. Quatuor annis ab hoc testimonio Doctor subtilis diem clausit: neque credere par est, eum, cuius ab ineunte ætate viuendi ratio laudabilis fuerat, in fine vitijs mancipari voluisse. Certè vel temporum felicitas, qua Scotus floruit, hoc ipsum contestatur: vixit enim in aureo illo nascentis religionis sæculo, & cum illo in an. 1308. expirãte expirauit Nam 1208. mense Octob. die S Lucæ S. Franciscus religionem inchoauit ex Chron.

Franc. par. 1. lib. 1. cap. 7.

XIX. Vetustissimum autem Leonino carmine Epitaphium luculenter docet Ioannem Dunsium non aliam de virtute à morte opinionem reliquisse, nisi eandem, quam vita in studiosis actibus traducta, adeptus est. Epitaphium leges hic, licet & interius suo loco.

Clauditur hic riuus, fons Ecclesiæ, via, viuus,
Doctor iustitiæ, studij flos, arca sophiæ:
Ingenio scandens, scripturæ abdita pandens.
In teneris annis fuit, ergo memento Ioannis,
Hunc, Deus, ornatum fac cælitus esse beatum.
Pro patre translato modulemur pectore grato,
Dux fuit hic cleri, claustri lux, & tuba veri.

Cum igitur & ante, & post funus de singulari, ac eximia virtute Scoti publica testimonia non desint, vnde illi crimen obijcies? Certo authore, aut incerto rumore? Author certus refractarij obitus non est Iouius, qui ducentos post annos natus, scribit nullo authore certo. Rumor incertus nonnulla de Scoto falsa, non pauca de Alberto (eadem in vrbe, & eodem fermè tempore mortuis) quem magnum, non magnum dictat, astruit. Nos ab Apostolo edoctos aniles fabulas deuitare operæ pretium est, atque opinari, Ioannem Dunsium immatura morte raptum, *ne malitia mutaret intellectum eius, aut*
Sap. 4. *ne fictio deciperet animam illius. Placita enim erat Deo anima illius, propterea properauit illum educere de medio iniquitatum.* Saluberrimo Dei consilio in portum Scotus appulit ex turbulentissimis, quæ religionem nostram agitarunt, procellis, ann. 1310. Alexandro de Alexandria Minorum communitatem defendente aduersus Vbertinum de Calali. Firm. 3. ord, par. 1. in memorial. ordin. Quæ deinde controuersiæ sub Ioanne XXII. sæuissimè tùm Christianum, tùm Franciscanum gregem diuexarunt,

runt, atrocissimo schismate dilaniarunt, atque perniciosissimis hæresibus discerpserunt. Sed agendi de morte Dunsij rursus nascetur occasio.

In duobus, quæ sequuntur assertis, partitione opus: alterum magnis fulcitur patronis Sixto Senensi, & Abbate Trithemio in lib. de script. Eccles. dum ais Ioannem Scotum audiuisse Alexandrum Alensem Lutetiæ: alterum tuum proprium, & breuiore indiget argumento, & ad primum reuincendum arma ministrabit; vt propterea etiam priorem sibi locum asciscat. XX.

Itaque anno Domini 1250. num, 11. affirmas Alexandrum Alensem sublatum ex viuis. Lege tamen Franciscum Gonzagam in lib. 1. de origine Seraph. Relig. pag. 121. referentem, quòd se Generali Obseruãtum anno 1581. templum Franciscanorum Parisijs exustum est: sed idem author ab ignibus inter cæteras, Alexandri Alensis memoriam vindicat, sub cuius effigie ad sepulchrum insculpta tradit hæc extitisse. *Obijt autem anno Incarnationis Dominicæ* 1245. 12. *Kalen. Septembr.* Ioannes Rioche in suo Compendio temporum lib. 4, cap. 63. de Alexandro Alense, inquit *Obijt hic sanctus Doctor anno Domini* 1245. 12.*Kalen. Septemb. sepultus ante crucifixum Ecclesiæ Parisiensis.* Subscribunt eisdem Philippus de Sosa in Chronicis Francisc. par. 2. lib. 1. cap. 12. Author Firmamen. trium ordinum par. 1. in epitaph. Alexandri Alen. S. Antoninus 3. part. tit. 24. cap. 9. §. 4. conspirat, & alij passim. Quamobrem, quos Alexandro Alensi addidisti, quinque annos deme.

Secundò de Ioannis Scoti præceptore lis est, eum tu Alexandrum Alensem, Antonius Posseuinus Gulielmum Varronis fuisse notat, non Alexandrum. Afferam ego in eam rem aliquot coniecturas. Si nanque Arist. & Scotus comparentur, cum Stagiri- XXI.

tes

Io.Grā. tes 17. agens annum Socratem auditurus accesserit, *Philop.* denus Ioannem Scotum citiùs; hoc est, quindecim *in vita* annos natum Alexandrum adijsse: ab eoque artem, *Arist.* quam is per triennium audiuisse. Tum ab obitu Alexandri an. 1245. vsque ad Dunsianum 1308. annos 63. enumeremus: Quibus collectis consequetur Scotum attigisse 81. annum cùm ex aduerso inuenis obijsse tradatur, aut secundū Andream Theuet Gallum in lib. de imaginibus & vitis virorum illustrium, quum esset annorum trium & quadraginta: aut iuxta carmina sepulchro appensa, & à Tossin. relata, post annum ætatis 33. nam tempora Christi triginta & tria communiter numerantur. En carmina.

Tempora post Christi propria dulcedine letum
Venit atrox raptim carcere composito.

XXII. Insuper Alexander Alensis (te quoque ad annum 1250. num. 11. assertore) duos discipulos habuit excellentissimos BB. Thomam & Bonauenturam, Bonauentura verò in 2. distin. 23. quæst. vltima indicat tùm, cùm ab se scriberetur, suum præceptorem fuisse defunctum. Atqui Dunsius in 1. dist. 26. quæst. 1. citat Sanctum Bonauenturam sub nomine Doctoris antiqui, integra periodo ex eius 1. senten. dist. 25. quæst. 1. num. 10. descripta: non ergo Scotus condiscipulus illius fuit, quem Doctorem antiquum appellauit. Quid? quòd SS. Thomas, & Bonauentura citò assecuti sunt Lutetiæ palmam doctoratus: Ioannes Scotus ob viuacitatem, vt dedimus quintodecimo ætatis anno auditor Alexandri, non obtinuit vsque ad 1305.

Ad hæc. Generalis Gonsaluus in literis iam citatis, facultatem capessendæ laureæ concedens Ioanni Scoto, & Alberto Metensi, hæc habet. *Si tamen constiterit vobis, quòd Dominus Cancellarius velit duos simul licentiare de nostris, volo, & placet mihi, q*

frater

frater Albertus Metensis, si ad conuentum redire poterit, cum præfatò fratre Ioanne debeat expediri. In quo casu mando, & ordino, quòd dictus frater Albertus antiquitatis merito priùs incipere debeat dicto fratre Ioanne, sub eo postmodum incæpturo. Ecce Albertus Metensis, quia maior natu, Ioanni Scoto præponitur; Ioannes interim iuxta priorem supputationem septuagesimũ septimum ànnum vixisset. Tam grandæuo alium præferri ob ætatem inuerisimile est, Præterea, Alexander Alensis instituit Thomam Aquinatem, & Bonauenturam Fidantium: Aquinas Ægidium Columnium, Fidantius Ioannem de Pechano; Ioannes Scotus post Ægidium scribit cum in 4. dist. 11. quæst. 3. H. & quol. 10. F. ac alibi ex Theorematibus Ægidij de Eucharistia quædam decerpat. Quare ab Alexandro ad Scotum tres doctorem generationes transiere. Imò & Scotum id temporis duntaxat habuisse discipulos fama claros (omnes namque post 1300. celebres) parum probabile esse videtur. Quin potius coniector D. Bonau. anno 1274. abijsse, Ioannem Dunsinm 1275. in auram commu-nem venisse, vt vna nostri ordinis lucerna sublata, nasceretur altera diuino munere B. Francisco impertita. Hæc pro negatiua persuadenda, ne Alexander subtilis Doctoris doctor credatur, satis.

XXIII. Pro affirmatiuà elaboranda plus operæ consumẽdum. Quoniam Scoti præceptorem alij Gulielmum alij Ioannem de Varra nominant, quorum vtrum vis præeligere non modici est laboris.

Ioannes de Guarra, seu Varra vocatur à Bergomate in Supplement. ad an. 1276.

Ioanne Pico Mirandul. in apologia conclus. 3.

Bartholomæo de Pisis in libro Conformitatum Conformitate vndecima, par. secunda car. 112. & conform. 8. par. 2. car. 72. qui author septuaginta septem annis post Scoti obitum scripsit.

Gulielmus Varro nominatur, præter Anton. Posseu. in Appar. sacro, à Ioanne Rioche in Compendio temp. lib. 4. cap. 78. Gulielmo Vorilon in 4. sentent. dist. 21. Tossiniao. lib. 3. in Gulielmum de Oona, seu Varronem. Henrico Vvillot in Athenis Orthodoxorum ad Gulielmum. Vnde in eam adducor sententiam, vt Scoti præceptorem vel binomium, vel potius Ioannem dictum, censeam ob authoritatem Pisani penè contemporanei Scoto. Verùm hoc pressiùs in historia Dunsiana excussum dabo. Interea & in Iouio hanc circunstantiarum loci, temporis, magistri, discipulorumque circa Scotum descriptionem optassem; sed ille serpentis astu, ne deprehenderetur, suppressit: tu Abrahame, simplicitate columbæ fretus expressisti; at serpentis prudentiam cum columbæ simplicitate coniungere oportere, Saluator edixit.

XXIV. Transgredior ad epitheta Dunsij, & verum à subtilitate promitur, falsum à tenebris. Duo pariter enucleanda sunt hoc loco, de Anaxagora, de Scoto. ambos quippe Scotinos cognomine appellatos autumas. Cùm hic titulus Heracliti agnomen fuisse Franciscus Gonzaga, & Rodulph. Tosian. locis antea citatis obseruauerint, & Seneca epist. 12. Polyd, Vergil. de inuent. rer. lib. 1. c. 2. & Sanctus Hieron. lib. 1. in Iouin. sub init. Approbatur idem ex Diogene Laertio in lib. 2. de vitis Philosophorum in Socrate, & lib. 9. in Heraclito: nam vtrobique obscuritatis notatur Heraclitus: id quod lib. 2. in Anaxagora minimè fuit animaduersum. Hæc pro Anaxagora.

XXV. Ioannis Dunsij cognomentum à subtilitate non ab obscuritate donatum est; donatum autem ab vniuersitate Parisiensi, prout Bernardinus de Bustis in officio Conceptionis B. V. scribit: & Parisiensis lector Gulielmus Vorilon in 4. dist. vltima procla-

Bust. in fest. lect. 4.

mat

mat S. Anton. in 3. par. tit. 24. cap. 8. §. 2. & cap. 9. §. 12. Doctorem subtilem dici, testatur. Chronicum Nurembergensis Theologum subtilissimum nuncupat. Chronicum Coloniense Germanicum ita latinè sonat: *Obijt Coloniæ magnus subtilis Doctor Ioannes Scotus*. Bartholom. de Pisi conform. 11. par. 2. & conform. 8. car. 71. subtilem appellat Astensis in summa edita 1317. subtilissimum dicit in 1. pag. Okam 1. d. 2. q. 6. *ista opinio*, inquit, *est, vt credo, opinio subtilis doctoris, qui alios in subtilitate iudicij excellebat*. Antiquioribus itaq; scriptoribus tum nostrati bus, tum vestratibus, tum exteris semper Doctor subtilis, nūquam Scotinos Ioannes Dunsius vocatus est. Porrò Scotinos primitus Dunsio impositum fuit (quantū cognoscere licuit) à Sixto Senense, quem habuisse imitatores Franciscum Gonzagam, & Petrum Rodulphium demiror haud mediocriter. Nonne Dunsium è Scotia ortum confiteris? cur ergo Scotum ex Græcia potius, quàm ex Scotia denominatum putes, maximè cum Scoti tempore vix Græcanicæ linguę esset memoria? Non à tenebris Ioannem nūcupauit Scotum, sed à patria Gondjssaluus; ita Franciscus de Maironis, atque Antonius Andræas cum cæteris Scoti auditoribus, qui se discipulos tenebricosi minimè dicerent. Sed hæc de vocibus quæstio pluribus non videtur expendenda. De re, hoc est, de obscuritate iamiam tractabimus.

Quæ de codicibus Dunsianis postea subijcis, placet ipsismet, quibus depinxisti, verbis referre. XXVI.
Quibus, inquis, *aliquis illud carmen, quod ex tractatu Ezechielis Prophetæ visioni cuidam D. Hieronymus præposuerat, subscripsit*. *Aeue.6* *Aen. 5*

Hic labor, illa domus, & inextricabilis error.
Vt quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq;,
Mille vijs habuisse dolum, quò signa sequentium

Fal-

Falleret indeprensus, & irremeabilis error.

Iure, meritò emblematis loco istud epigramma eius operibus præfixum. Nam omnia, quæ scripsit, dixitq; , adeò sunt densis tenebris damnata, &c.

Experiamur an Scotus Dædalus, an eius libri labyrinthus, attributa hæc à poetica ad Logicam, à sua vi oratione ad veraeem transferentes: si forsan referre sit refellere.

Libri Scoti sunt error inextricabilis, indeprensus, irremeabilis. Libri Scoti habent dolum ancipitem mille vijs ad fallendos sequaces. Et ne pauca hæc videantur, quibus errores seuisse, imò dolosè etiam serere voluisse proditum: additur obscura cæcitas, nam Libri Scoti habent iter textũ cæcis parietibus, quò signa sequentum falleret error. Quæ quidem enunciatio cum Iouij conuenit enunciatione de itinere distorto ad ingenia nostri ordinis perdenda. Hæc epitheta iure ne an iniuria Scoti operibus imposita? Iure meritò, respondes, hoc epigramma, hoc emblema præfixum. Quid ita? Quoniam, inquis, omnia, quæ dixit, scripsitq; , sunt densis tenebris damnata. Sed enim omnia, quæ dixit Scotus, non audiuisse te, scio: omnia, quæ scripsit, legisse te, nescio. Nam si legisses non errores, sed filum ad errores euitandos à Dunsio allatum cognosceres. Ast ego triplici dilemmate breuiter compellabo.

XXVII. Si in Scoticum labyrinthum ingressus inde remeasti, error non est irremeabilis: si non ingressus, ne queraris. Nemo regreditur ex eo loco in quem non est ingressus. Præterea Scoticum errorem deprehendisti, an non? Si deprehendisti, error non est indeprehensus, si non deprehendisti, non credemus tibi. Sed audi, dicam cum mansuetudine, quod cum mansuetudiue suscipi velim. Quilibet peritus, aut imperitus in generali taxare potest opera Scoti, tanquam erroribus, fallacijs, dolis instructa: at in

spe-

ſpeciali errores, reuincere, doloſue detegere, hoc opus, hic labor eſt, hoc periti proprium. Itaque tu, qui ſcientia refertiſſimus es, & in Theologia exercitatiſſimus, exere ingenij vires, artis opes, & vel vnicum argumētum in Scotiſtas intorque. Sic enim pro Scoto aſſeclæ, vt pro rege apes apud Poetam armantur.

Penniſq; coruſcant,
Spiculaq; exacuunt roſtris, aptantq; lacertos, Virg. 4. Geor.
Et circa Regem, atq; ipſa ad prætoria denſa
Miſcentur, magniſq; vocant clamoribus hoſtem,

Tertio Scoti argumenta ſoluere putes, vel ne? XXVIII vbi nequeas, tuam non Scoti ſcientiam damna. Vbi queas, confitere Dunſianos errores non eſſe inextricabiles: è quibus, cum tu emergere, & extricare te poſſis, potuerunt, & principes Thomiſtarum, Capreolus, Caietanus, Ferrarienſis.

Tandem tenebris ne damnes Scotum tribus iam ſæculis rutilantem: ego enim ſic intelligo; Doctorem ſubtilem, vel authentica damnatione, vel doctrinali feriendum. Primum iudicium ſummi Pontificis eſt, Secundum ſapientis Doctore ſubtili doctioris. Tu autem neque authoritate cum Petro, neque doctrina cum Dunſio concertare potes: quare nec Scotum, nec Scotiſtas, tenebris damnare, etſi damnaueris, dum fallacem ducem, falſos ſequaces hoc epigrammate indicas, & cantas.

Quæ ſigna ſequentum Falleret indeprenſus, &c.

Cæterùm cum his carminibus vel falſitatis, vel obſcuritatis argui Scotus valeat: de falſitate ſiue per incuriam exciderit, ſiue per fallaciam, ſatis. Ne fortaſſe dicas emblema præfixum propter obſcuritatem ſolam. Ego vlterius non ſcruptabor, ſed vbi reprehendas obſcuritatis duntaxat: caui, ne quis putet, falſitatis. Præterquam quod, quum epigramma fragmento imperfecto in epiſtolam ad Roma-

Henr. Vvill. I Athe. Orthod. Sixt. Senen. accusat.

nos præfixum ab aliquo (à quo? nec enim pandis) extenderis tu ipse ad omnia Scoti tum dicta, tum scripta: veritus sum, ne versus de obscuritate, ad falsitatem extenderes. Præfixi Ezechieli, præfixi Scoto ijdem versus: at in Ezechiele, obscuritas esse potest, non falsitas. In Scoto potentia est ad vtranque, & metra vtranque actu inesse decantant, vt proptere a cautio adhibenda omninò videretur.

XXIX. Ergo de obscuritate dicamus. In Scoto si verba, & verborum structuram consideres, nihil planius. Non in Grammaticis, vel Rhetoricis flosculis lectorem occupat. sed in reconditis mysterijs, vt eum euehat ad altissimas lucem, ac tenebras Deo velando extentas: nam habitat lucem inacessibilem, qui posuit tenebras latibulum suum, Lacerna nigredinis, ob id Hæbreis dictus. Quid ergo in Scoto carperes, voces, an res? Voces? minimè, quia simplicissimæ sunt: paucas detrahe pro ratione auditorum prolatas barbarè, vt regraties, trufa, briga. Res verò non redarguere, sed mentem nostram debemus ad ea, quæ Scotus attigit, non attingentem. Olim Paulus audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui: aquila Ioannes Euangelista in solem solis aspexit, & quæ viderat, enarrauit. Num quia hos non intelligo, tenebris damnatos crediderim? Non tàm altè Scotus, altè tamen aquilinum erexit obtutum. B. Augustinus olim obscuritatis notatus. At Augustinus est scholasticorum dux: Ioannes Duns subtilium signifer, subtilis, arduus, difficilis. Propositiones, & conclusiones alijs ne cogitatas quidem, naturali, atque supernaturali lumine instructus effatus est: vnde & superat aliorũ cogitatus.

Regraties. 4. d. 15. q. 2. V. Trufa, 4. d. 12. q. 1. H. Briga, 4 d. 30. q. 1. D.

XXX. Ponis ne cum Doctore Angelico difficultatem cognoscendi etiam in rebus, an cum subtili tantùm in mente, in qua, quia facultas est, & facultatis defectum inesse dete:? Si rebus ascripseris, de rebus

con-

conqueritor,non de Scoto earum difficultatem ſtylo explanante faciliimo. Si dederis intellectui, de noſtro queritor, non de Dunſiano, qui acutè penetrauit, & pro viribus explicauit nobis impenetrabilia. Cogita in naturalibus Ariſtotelem, in ſupernaturalibus Ioannem: ille obſcurus, itaut multa ipſius loca tot ſæculorum obſtinato labore nõdum ſuperata ſint: annè propterea tenebris damnandus? Nihil minus. Nec Scotus ergo in rebus ſacris. Oculo ſuperficies corporum cernitur, profunditas intellectu: ſuperficialem optent alij Theologiam, Scoto profunda placuit. Si non potes intelligere, noli reprehendere. Lac ab alijs quære, Scotus cibo paſcet ſolidiore. Si pauper eſſe velis, labore non eges: diuitiæ verò nec animi, nec corporis abſque ſudore parantur. Difficilia, quæ pulchra. Obſcurus Ioannes Dunſius, ſed illa obſcuritas non eſt inſuperabilis. Simpli. in prædicam. q. 7.

At enim D. Hieronymus vir ſanctiſſimus, atque doctiſſimus iſtud emblema Ezechieli appinxit, quod Abrahamus Ioanni præfixit. Conqueſtio non tam de Abrahamo, quam de Hieronymo eſt. Audio, agnoſco artificium: ſcilicet niſi reprehendatur Hieronymus Abraham reprehendi non poteſt. At ex aduerſo ſtropham ſtropha repellere oportuit. Si defendatur Exechiel, Scotus defenſionis particeps fiet. Quanquam quid intereſt defendi? Magnanima illa Phocionis ad Thudippum ſententia, An parum ducis cum Phocione mori? Generoſa item vox, An turpe ducis cum Ezechiele notari? Sollicitior eſſe debueras, Bzoui, ad Prophetam tuendum, quam ad Theologum taxandum. Hieronymi authoritatem apud nos plurimum valuiſſe, atq; valere oportere confiteor: veracitas tamen Ezechielis multo maxima eſt, in quam neque inuoluntarius error, quod eſt inſcij, neque voluntarius, quod eſt doloſi, XXXI. Pluta. in vita Phoci. & Æli, va. hiſ. lib. 13. c. 14.

Luc.1. irrepere potuit. *Locutus est enim Deus per os sanctorum, qui à sæculo sunt prophetarum eius.* Augustinus tomo 2. in Epistola 19. ad Hieroyn. sic ait. *Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremq; deferre, vt nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam, ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mēdosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaq; præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ità senserunt, sed quia mihi vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione. quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt Nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo, prorsus, inquam, non te arbitror, sic legi tuos libros velle tanquam prophetarum, vel apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc à pia humilitate, & veraci de temetipso cogitatione.* Hæc Augustinus de Ezechiele sentiet.

XXXII Nunc Hieronymi libet prologum lib. 14. commentariorum, qui est in 45. Ezechielis, referre. Sic autem habet, *Quod in principio templi Ezechielis debui dicere, nunc præpostero ordine in fine dicturus sum; illius versiculi memor.*

Aene.6 *Hic labor, illa domus, & inextricabilis error. De quo & in alio loco idem poeta decantat.*

Aen.5. *Vt quondam Creta fertur labyrinthus in alta*
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq;,
Mille vijs habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus, & irremeabilis error.

Ita & ego istarum scripturarum ingressus oceanum, & mysteriorum Dei, vt sic loquar, labyrinthum, de quo
Ps.17. *scriptum est, Posuit tenebras latibulum suum, & Nubes*
Ps.96. *in circuitu eius, perfectam quidem scientiam veritatis*

mihi

mihi vendicare non audeo, sed nosse cupientibus aliqua doctrinæ indicia præbuisse, non meis viribus, sed Christi misericordia, qui errantibus nobis ipse dolos tecti, ambagesq; resoluit, cæca regens spiritu sancto vestigia. Quem sequentes ad portum explanationum prophetæ Ezechielis peruenire poterimus: in quem extremus, idest, 14. liber est, &c.

Ex quibus patet, Ezechielem secundum Augustinum errorem non admittere; secundum Hieronymum errorem, atque dolum pati, dici videtur. Quid ergo dicendum? Hieronymum erraſſe, an Ezechielem? Ezechielem erraſſe eſt aſſertum impium: Hieronymum Ezechieli errorem tribuere, atque ideo ipſum Hieronymum errare, eſt parum pium. Sed cum in falſitate, aut in obſcuritate, labyrinthi ſimilitudo conſiſtat: de obſcuritate, non de falſitate, conqueritur Hieronymus. Idipſum de Scoto ſi Polonus ſentiat, aſſentior non ſine diſcrimine, quoniam Ezechiel in veritate ſolidior eſt, qui nec fallere, nec falli poteſt: Scotus in claritate facilior, qui nec enigmatibus, nec tropis diſputat, ſed propria, quoad ſua tempora permiſere, vocabula accerſit.

Ad hæc: in profetia ſunt myſterium Dei, & nubes inuoluens: ſpiritus viuificans; & litera occidens. Vtrumque agnouit Hieronymus in epiſt. ad Galatas, differens. *Non putemus in verbis scripturarum esse euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum folijs, sed in radice rationis.* Porrò cauſam, ob quam id fieri oporteat, in eo ipſo libro 14. ſuper cap. 45. Ezechielis, idem Hieronymus reſerauit ſcribens. *Vnde & multa dicuntur in parabolis, & enigmatibus, vt qui habet aures audiendi, audiat. Omnisq; prophetia in obscuritate continet veritatem: vt discipuli intrinsecus audiant, vulgus ignobile, & foris positum nesciat, quid dicatur.* Quod ſi & Scotus XXXIII

Deum in obscurè tradenda veritate imitari voluisset, ecquis tandem est, qui posset reprehendere? Veruntamen scriptura, & in medulla spiritus vitam habet, & in cortice literæ mortem non habet. Pensemus scripta mysteria signatis, In Eucharistia inuolucro terrestris, amicitur panis cælestis. In quo sacramento, nec sensus decipitur in tegumenmento sensibili, nec intellectus Dei spiritu, non proprio ductus in seruatore inuisibili. Scriptura itidem spiritu sancto inspirante scripta, Spiritu sancto inspirante lecta, proderit. Non est in ea error, non dolus, non mors: aliud fit intentione fallendi, aliud studio tegendi. Non dandum san-
Matt.7 ctum canibus, nec margaritæ proijciendæ porcis. Curiosus intellectus errores affert, non aufert sacris literis; dum enim singulis clausulis sensum imponit, excogitat, comminiscitur: priorque clausula posteriorem, posterior priorem, omnes simul omnes eius phantasias eliminant: errabundus, inquietus, præsumens qui in se error est, in scripturam regerit, quando author sanctus, qui vel ipsa litera errores respuit, nullum errorem intendat. Lapis angularis offenditur, non offendit. Ex Christi verbis scandalum accipitur, quod non datur. Hic est Hieronymi sensus, dum sibi errantes gressus, & cæca vestigia, non Christi ductori, aut Spiritus sancti filo vendicat. Denique si Hieronymus inspicitur, hunc etiam sensum correctione extenuat, cùm ait, *vt sic loquar*: Abraham asseueratione exaggerat, dicens. *Iure meritò hoc emblema præfixum.* Ergo nullus in Hieronymo lapsus, nonnullus in Abrahamo.

XXXIV Adijcis. *Paulus Iouius Elogio adiuncto virū ornauit Nemo,* inquit, *eorum, qui non insano Christianæ pietatis amore flagrantes. &c.* Iouiana isthæc pudore suffusus in tuo legi codice. Elogio illo Ioannem Dunsium ornatum existimas? Talia ornamenta hostibus

Chri-

Christi, non Scoto seruo Christi, viro religioso, doctori catholico, Theologorum Gymnasiarchæ. Funesta profectò ornamenta, nimirum,

1 *Christianis dogmatibus illudere.*
2 *Fidem sacrarum rerum confundere.*
3 *Figmentorum caliginem diuinis veris opponere.*
4 *Lites immortales inter Religiosos serere.*
5 *Captiosè, ac proteruè disputasse.*
6 *Publicè, aut certè secretò peccasse.*
7 *Ac tandem sese truculenter, & sacrilegè interemptum pessundedisse.*

Quid in Hæreticū scriberet Iouius, quod non in Scotum Catholicū & Catholicorū propugnatorem scripserit? Hoc me tantū consolatur, quòd multos Hæreticorū errores in tuo Annaliū opere retulisti, Scoti nullum neq; Iouius, neq; Latomus, neq; Ianus, neq; Anonymus tuus: sed neque tu, nam & tu, heu, numerandus. Cum Cæsarem adorirentur mucronibus multi, in vnum ingemuit: & tu quoq; Brute fili? In Scotum calamis insurgunt multi, in alia licet causa, dolens ingeminabo: Et tu quoq; Abrahame frater? Tu cum alijs, imò præ alijs, qui aliorum dispersa dicta in vnū coegisti, & omniū calamis vno calamo pugnasti. Reclamabis: quia nihil in Scotum scripseris, sed rescripseris. Semper posteris licuisse ex priscorum scriptis historias nectere. Vtique, omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Vt Ephori de Clazomenijs, dicam ego de Iouianis. Liceat Iouianis indecorè dicere de Scoto: at fratrem de fratre dicere non expedit. Dixi num. 2. me optasse, ne horum esses relator: num. 56. dubitasse, ne esses assertor. Agitur de fide de sacris dogmatibus. an immaculatam Ecclesiam, quæ firmamentum, & columna veritatis est, censes illusorem Christianæ veritatis, fidei confusorem, conflatorem figmentorum, satorem discordiarum, fallacem

1. Cor. 6
Ælian. lib. 2. c. 15.

disputatorem in Christi causis permissuram? An Christiani orbis perillustres vniuersitates Parisiensem, Patauinam, Papiensem, Complutensem, Romanam ipsam aliasque multas Scotum, si talis esset, publicè prælecturas arbitraris? An Religionem Franciscanam, quæ pro fide catholica multum iam sudorem sparsit, & sanguinem, profundere adhuc prompta, putas doctorem recepturam fidei catholicæ tam aduersum? Tam perditæ vitæ? Tam deploratæ mortis? Iam consideraui hoc Elogium suo loco, nunc breuibus attingam. Primum.

XXXV. Ad doctrinam. Illusio Christianorum dogmatum graue crimen est, quemadmodum prudentissima verba Iacobi ad Rebeccam matrem indicat. Gen. 27 *Ne putet me pater sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione*. Si patris mortalis illusor maledictionis reus est, quanto magis illusor cælestis patris: dictorumq; ipsius aspernator? Confictor? Quæ vt Scotus fecerit: aut in conclusionibus, aut in rationibus respondendo, vel arguendo perpetrasse necessum est.

A conclusionibus ordior, quæ vel fide, vel opinione tenentur. Pugnant ne Thomistæ, & Scotistæ de veritatibus ab Ecclesia definitis? Absit. Fidem communiter tenemus, in placitis proprijs exercemur. Fides Catholica non est opinionibus alligata. Si ruat opinio Thomæ, vel opinio Scoti, non ruit fides. Præclarè Scotus in 1. d. 26. q. 1. *Articulum*, inquit, *fidei restringere ad intellectum specialem, qui tamen traditus est in generali, quasi non possit intellectus generalis esse verus, nisi specialis sit verus; hoc videtur articulum reducere ad incertitudinem: videtur enim incertum, quod non potest sine incerto teneri, &c.* Exemplum quoque affert accommodatissimum. Nam articulus de vnitate Dei erat in generali propositus Iudæis, sed in speciali de vnitate, vel Trinitate per-

ſonarum nihil explicitè habebant. Neque erant in alterutram cogendi partem, præſertim cum propter vnitatem eſſentiæ vehementer commendatam in ſcripturis plures Iudæorum ad vnitatem perſonæ deflexerint. Fides itaque ſine vtriuſuis academiæ Angelicæ, vel Subtilis opinionibus conſtat inconcuſſa.

Alphonſus de Caſtro in primo lib. aduerſus hæreſes cap. 7. fusè in hanc rem eloquitur. *Fateor*, inquit, *me non poſſe cohibere iracundiam, quoties video aliquos ita addictos hominum aliquorum ſcriptis, vt impium autument, ſi vel in modica re, quis ab eorum ſententia diſcedat, volunt enim hominum ſcripta, velut Diuorum oracula recipi, illumq́ honorem illis exhiberi, qui ſolis ſacris literis debetur. Non enim iurauimus in verba hominis, ſed in verba Dei. Ego enim miſerrimam hanc dicerem ſeruitutem, ſic eſſe humanæ ſententiæ addictum, vt non liceat vllo modo illi repugnare, qualem patiuntur hi, qui ſe tantum B. Thomæ, aut Scoti, aut Ochan dictis ſubijciunt, vt ab eorum placitis, in quos iuraſſe videntur, nomina ſortiantur, quidam Thomiſtæ, alij Scotiſtæ, alij Ochaniſtæ appellati. Paulus quidem iuſſit captiuare intellectum noſtrum, ſed in obſequium Chriſti, non autem in obſequium hominis. Quo fit, vt hi, qui tam leuiter de hæreſi pronuntiant, non expendentes de qua re loquantur, ſæpè ſua ipſorum feriantur ſagitta, incidantq́ in eam foueam, quam alijs parabant. Nam velle humanas ſcripturas in diuinarum ordinem connumerare, hoc veriùs dixerim hæreſim: quod faciunt hi, qui humanis ſcriptis diſſentire impium autumant, perinde ac diuinis. Quales ego vidi in tantam inſaniam deueniſſe, vt non ſint veriti ad populum in publica concione effundere. Quiſquis à B. Thoma ſententia diſceſſerit, ſuſpectus de hæreſi eſt cenſendus. O fortes verbi Dei, imò verius dixerim, verbi Thomæ prædicatores.* XXXVI

Erit ergo B. Bonauentura suspectus de hæresi putandus, quod in multis obuiet B. Thomæ? Erit ergo D. Anselmus suspectus de hæresi dicendus, quòd contra D. Thomæ sententiam, non putat amatorem Virginis, qui festum Conceptionis celebrare respuit? Nec tamen ista sit à me dicta velim, vt quispiam putet me his verbis omnes illius instituti, aut ordinis homines velle mordere. Noui enim ex eis plures doctos, & cordatos, ac verè pios, quibus, quum ista aguntur, aut ab alijs, vt plurimùm indoctis, dicuntur, valde displicent: valde enim displicet etiam mihi, quòd & nostrum sodalitium in verba Scoti ferè iurasse videatur. Hæc Alphonsus vir omni doctrina excultus, Iurauimus in Christi verba, non in verba, Thomæ, vel Scoti: nec enim Christi veritates ab eorum opinionibus pendet.

xxxvij. Ego de D.Thoma tanquam de pijssimo doctore censeo, nec arbitror eum tantum sibi arrogasse, vt putarit non posse credi christiana dogmata, nisi Thomistica crederentur: vel negatis Thomæ placitis, necessariò Christi placita esse neganda; quinimò reor, S. Thomam supposita fide opiniones probabiliter disputasse. Quod & Dunsius præstitit, qui saluo intellectu diuinarum veritatum sententias humanas excussit. Et si nullam ob rem Scotus laude dignus videretur, propter hoc laudem dixerim incomparabilem demereri, quod multas veritates catholicas à pluribus opinionibus Thomisticis distinxerit, illas amplectens, has respuens. Neque id à D. Thomæ sensu dissentit. Disputatum enim fuit ardentissimè inter Scoticas, & Thomistas de B. Virginis Immaculata Conceptione. Olim à Sixto 4. nuper à sacra Synodo Tridentina declaratum est, veritatem de peccato originali & credi, & defendi posse in generali, tametsi dicatur in speciali Mater virgo absque originaria fæce concepta. Nunc duas erigo contradictorias.

Sixt. 4. in extrauag. Graue nimis Concil. Tridēt. sess. 5.

Non

Non poteſt ſeruari fides, & veritas de peccato originali in cõmuni, ſi in particulari B. Virgo à peccato originali immaculata dicatur.

Poteſt ſeruari fides, & veritas de peccato originali in communi, ſi B. Virgo in particulari à peccato originali immaculata dicatur. Primam propoſitionem D. Thomæ non aſcribes, quin eius ſententiam reprobatam concedas. Quamuis enim impoſſibile non ſit ſanctam Romanam Eccleſiam aliquid aduerſus B. Thomæ opinionem definire, vt aduerſus B. Cypriani placitum de baptiſmo hæreticorum decreuit (qua de re Scotus egregiè in 4. d. 5. q. 1. ad vltim.) humillimum tamen virum ab ea opinione longè abſuiſſe crediderim, vel ex eò quòd iunior in 1. d. 44. B. Virginem ab originali innoxiam, ſenior in 3. par. q. 27. obnoxiam putauerit Vnde ratus eſt, ſalua fide in communi de originis culpa, ſibi integrum fore vtramuis in particulari ſequi opinionem; alioqui aut priùs, aut poſteriùs defeciſſe à fide.

Quapropter fides, ac eius obiectum ab opinionibus, atque opinatis ſcholaſticorum ſecreta eſt. Si verò Scotica illa diſceptandi ratio captioſa, & proterua non fuiſſet, non pauci fidem cum opinione, diuina cum humanis confudiſſent. Scotus non confudit, imò acutiſſime diſtinxit, nec paleas pro tritico venundari permiſit. Quid hoc captioſum, atq; proteruum, & non potiùs ſubtile & conſtans? Non ergo confudit: ſed neq; ſacris dogmatibus illuſit, cùm illuſor alterum pro altero ſupponat, quemadmodum Iacob ſi Eſau perſonam retuliſſet, ſe patri putabat illuſurum. Scotus autem nec ſua nec aliena placita pro Chriſti dogmatibus obtrudi paſſus eſt. Neque figmentis inſperſit. Figmenta ſunt in primis ea, quorum repugnant partes, vt in 2. Phyſic. tex. 83. Vitigena, Androprora, & in 3. de Anima con- xxxviij

tex. 21. alia Empedoclis figmenta. In conclusionibus credendis terminum termino cohærere liquet: illæ igitur conclusiones non sunt figmenta; secreuit Dunsius ab his opiniones, in quibus pro humana imbecillitate falsum, vel impossibile latitare potest. Quare à figmentis dispescuit potius, quàm coniunxerit credita.

Xxxix Insuper quia scholastici munus est conclusionis creditæ rationem inquirere ad eam intelligendam; tùm argumenta excogitando veracia, tùm dolosa subruendo; in medijs probandi, & reprobandi plerumq; dissident scholastici. Refragantur sibi inuicem nonnunquam Alexander, & Albertus Magni, Thomas, & Bonauentura Diui: sed cum aduersa concludant, non est dubium alterum ipsorum argumento niti captioso. An propterea fidei sacrarum rerum illudunt? Confingunt? Minime gentium. Syllogismo, aut responso contentiosis, qui volens abuteretur, peccaret. At vel Scotum, vel alios volentes errasse, est facile dictu, sed inane.

Libet interea duo proferre loca, vnum pro fide, alterum pro opinione. Pro fide in 1. d. 9. q. 1. Dunsius theorema credendum proponit. Pater æternus generat filium sibi coæternum. Nunc an medius terminus inter extremitates iniectus figmentum sit, dispiciamus. Agens naturale, independens in agendo, quod per motum, aut mutationem non agat, potest habere productum sibi coæuum: Pater æternus in generatione filij (quam ex probatis dist. 2. primi præsupponit) est agens naturale, independens in agendo, atque agens non per motum, vel mutationem: igitur pater æternus potest habere productum sibi coæuum: quare & habet, nam in æternis esse, & posse idem est. Expende iam propositionis minoris subiectum, scilicet patrem æternum: & quia in figmentis est repugnantia, dicito, si audes,

totum prædicatum, vel partes eius aut inter ſe,aut cum ſubiecto colluctari. Si autem conuenit cum ſubiecto medium, cum prædicato concluſionis conueniat,oportet. Itidem in reliquis creditis Scotica nitent argumenta.

Pro opinione. In tertia quæſt. prolo. agitato quæſito. An Deus ſub ratione Deitatis ſit ſacræ Theologiæ ſubiectum: ſcripſit ſubtilis Doctor modos conſiderandi eandem rem tam luculenter ac ſolidè, vt eos penè ad verbum authoris nomine ingenuè indicato, Caetanus in 1. part. q. 1. retulerit. Non igitur Caetanus tùm vel in concluſione repugnantiam, vel in medio figmentum exhorruit. Poſtremò vt Scotica doctrina clariſſimè appareat intaminata. Adiungo, ad fidem. A Scoti temporibus ad noſtrum vſque plura œcumenica concilia coacta ſunt: quorum patres, ſi animaduertiſſent in Scoti codicibus figmenta fidei aduerſa, eum ex albo Doctorum Catholicorum expungere non dubitaſſent: & in librorum prohibitorum, ſuſpectorumque indicem referre. Aut patrum nimia negligentia, præſertim in ſcriptore, quem tot viri tanquam anteſignanum venerantur: aut Iouij diligentia nimia. Ad opiniones. Reminiſcere vniuerſitatem Pariſienſem ſcholaſticorum parentem ſtudiorum plurimis articulis, quorundam, qui pluſquam oportet, ſapere vellent, errores repreſſiſſe. In Scoto nullum errorem obſeruatum, in auribus eiuſdem vniuerſitatis Gulielmus Voril. in 1. d. vlt. teſtatus eſt. Vtrum Pariſienſes calculos veſtrates effugerint, tu videris, ego multum dubito.

XL.

Seuit enim lites immortales, quando eius placita ab aduerſæ ſectæ profeſſoribus oppugnata, &c. Quis lites, Abrahame, dicetur excitare, qui aſſertiones impugnandas proponit, aut qui oppugnat propoſitas? Si proponens, ergo Angelicus Doctor ſeuit lites,

quum

quum assertiones, quas Doctor subtilis impugnat, proposuit. Si oppugnans, Thomistæ dicuntur à Iouio Scoti placita grauiter oppugnare. Itaque in vos diffidij causa recidit.

Sed qui aliquot præclara eius ordinis ingenia ad optimam frugem nata, distorto .s. ad veritatem itinere suspendisse, perdidisseq; videtur.

Præclara, & optima Minorum ingenia Scotus perdidit: & ea ipsa se perdita non aduerterunt: non igitur præclara, non optima. Sed à qua veritate sunt perdita, vel abducta? A Catholica? Falsum. Nemo quandiu Scoto adhæsit à Catholica est fide dilapsus, nam Scotus perpetim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subiectus stabilis fide Catholica perennat. Lege ipsum in 1. distinct. 5. distinc. 11. distin. 12. & sexcentis in locis. Imò qui à Scoti doctrina ad proprias sectas ex suorum discipulorum numero defecerunt Gulielmus Ocham, & Ioannes de Ianduno in peculiarem turgidi magistrum, in vniuersalem quoque magistrum magistrorum Summum Pontificem, Dei permissu, insurrexerunt. An potiùs auersa sunt à veritate Peripatetica? Tametsi hoc præter rem esse videatur, lege Scotum in 1. distin. 8. quæst. 5. & 2. distin. 2. quæst. 9. quantumque pro Aristotele Ioannes noster digladietur, docebere. At at intelligo. A veritate Thomistica depulsa sunt. Verùm si hac ratione Minoritarum ingenia credideris perdita, vereor, ne inuenta sint frequentius, ac volueris, in Scoti opiniones propugnandas.

XLI. Ad mores vertamur, Iouiumque legamus.

Manifesti, aut certè occulti alicuius criminis apoplexia correptus, pœnas persoluit. Quia publicum facinus non potest in moribus Dunsij, sub asseuerationis certitudine occultum impingit: *Aut certè occulti.* Ec-
1. Cor. 4. clesia non iudicat de occultis, sed Deus. Itaq; noli

ante

ante tempus iudicare, mi frater, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Spero & Scoto à Deo tunc laudem futuram: nunc laudes, & ab hominibus adeptus est. Laudat Antonius Posseuinus in Scoto eximiam modestiam, charitatem, animî integritatem. Gulielmus Eysengrenius Fidei Catholicæ professionem, exercitationem in Diuina Lege. Abbas Trithemius studiosam cælestium scripturarum eruditionem. Petrus Tataretus contemptum vitæ pro iustitiæ, & æquitate extollit. Paupertatis opulentiam Euangelicæ, Chronicum Franciscanum: obedientiæ magnam propensionem, Gulielmus Vorilon: Pisanus educationem in diuino cultu, & religiosis sanctionibus: cælibatus puritatem, epigrammatarius penes Tossinianum. Denique Gonsaluus scripsit Ioannem Scotum vita laudabilem. Philippus à Sosa morte venerabilem, Antonius Andræas memoria benedictum. Omnes agnoscunt eius in Deiparam pietatem. In Christum, & hunc Crucifixum, affectum ipse Doctor subtilis fermè ostendit in *1.* distinct. *16.* quæst. *1.* *Quando volumus*, inquit, *colere Christum & passionem eius compati, facilius eam contemplamur, si imaginem Crucifixi frequentius intuemur, & ex tali intuitione talis species, in phantasia generatur. Et hoc totum est modo propter ordinem naturalem potentiarum primarum in agendo.* Qui tamen Scoti humilitatem, charitatem, deuotionem agnoscere vollet, consideret soliloquium Doctore subtili dignum in libro toto de primo rerum principio. Hoc opus olim à Mauritio Hybernico excussum, à me manuscriptum inuentū est in Bibliotheca Franciscana huius inclytæ Vrbis Camberiensis, ob primarium Sabaudiæ Senatum viris tum di-

gnitate,

gnitate, tum doctrina præclarissimis, atque ob id etiam libris erudissimis instructæ.

XLII. Laus & vera, & probata etiam ore proprio, iusta vrgente causa, modestè referri potest. Hinc mores integri, quibus Dunsius conspicuus, aperti; occultis Deus, qui & videt in abscondito, in abscondito reddit. Vnde igitur coniectetur Iouius apertum, vel occultum crimen, Abrahame? Ex atrici funere, respondebis opinor, nec enim testes adducit. Atqui & B. Iordanus (ex Ioan. Michael in lib. de Vitis hominum illustrium Dominican. part. 1. inter Beatos car. 253. & part. 2. inter Generales car. 9.) cum pluribus socijs sepultus, ante quàm mortuus: iste

Apposite Cice. Ora. 37 in L. Pison. quidem in aqua submersus. Scotus verò (si ita placet) in terra defossus. Nihil refert obrui terra, vel aqua, sed obrui peccato. Qua ratione discernes trux funeris genus in Ioanne nostro iræ, in Iordano vestro gratiæ signum extitisse? Quid moror? Eccliast. 9. *Nescit homo vtrum amore, vel odio dignus sit, sed cuncta in futurum seruantur incerta: eo quòd vniuersa æquè eueniunt iusto, & impio.* Miserè obruti ca-

Iob 1. su domus filij Iob, sed innocentes: miserè casu tur-

Luc. 13. ris Siloe Ierosolimitæ, sed nocentes. Porrò qui antea peccatum occultum, nunc incertum obiectat,

Psa. 50. an fortasse cum Dauide concinet, *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi?* Qui verò afferat, quod est incertum, & occultum, vix dignus est, cui fidem accommodemus in rebus apertis, & certis. Sed argumentabere. Scotus desperabundus eliso capite perijt, Iordanus non item. Desperatio isthæc non primum peccatum, sed prioris multa esse videtur: ergo aut publicum, aut certè occultum in Dunsio crimen. Lepidum argumentum. Nam sicut ex positione pænæ, quæ fit culpa, culpam præcessisse colligis: sic ex negatione culpæ, vt sup. num. 16. patefeci, negatio pænæ colligenda. Si autem suppli-

clum

cium sit, quod culpa non sit, etiam collectio nulla est.

XLIII Verum enim verò desperatio hæc à Scoto propulsanda: id in Iouium, & Matenesium elaborauimus, sed Pro Bzouio in præsentiarum repetere non pigebit, ne plus alienis, quàm fratri prodesse velle videamur. Delineat supplicium immane Iouius hunc in modum. *Apoplexia correptus pœnas persoluit, ita quidem, vt nimis festinato funere pro mortuo tumulatus, quum redeunte vita serò morbi impetum natura discuteret: frustra ad petendam opem miserabili mugitu edito, pulsatoq; diu sepulchri lapide, eliso tandem capite perierit.* Genus hoc funeris esse fabulosum, post graue Auberti Miræi Antuerpiēsis in Chronico iudicium, conuincunt Narrationis Iouianæ circumstantiæ, aliorum scriptorum testimonia, Scoticæ inspectio sepulturæ: duo priora scrutari tuæ erat diligentiæ, tertium mei laboris erit in lucem eruere.

Primùm narratæ circumstantiæ fabulam, vel solæ denudant. Ioannes Scotus, quo nemo subtilius, aut acrius Diuina tractauit Mysteria: qui nouam condidit Philosophorum, Theologorumque sectam, qui pietate Christiana flagrans, Franciscanam professus est religionem, non est ignotus. Humilis quidē sibi, at pietate spectatus, doctrina spectatissimus. Quamobrem inuerisimile est huic medicos defuisse, & qui affuerint morbi periculum non fecisse, aut explorandæ apoplexiæ, an esset lethalis, præfinitum tempus non expectasse. Aliqua ergo intercedit mora. Quid fratres? Nonne religioso probatissimo solitas noctu excubias custodiunt? Nonne postridie sacras de more precationes, exequias, sacrificia persoluunt? En longior mora. Discipulos itidem, quibus tum ex claustro, tum ex sæculo stipatus supremas Doctori subtili laudationes declamasse, solemnioribus iustis grato, & mœrenti animo parentasse,

tasse,est longè clarissimũ, Magna satis mora,ne raptim tumulatus credatur, præsertim (quod à medicis postulato) si non tandiu cum natura apoplexia colluctetur.

XLIV. Sed esto, sit festinatum funus. Sepulcro inclusus, diu pulsauit, iugiter clamauit. Age iam hoc expendamus. Si nullus audiuit, fabula est. Sed quis audiuit? Qualem finges auditotem? Si primò barbarè ferum aliquem,qui tali,ac tanto viro miserabiliter imploranti,opem negauerit: fabula est. Si secundò timidum quempiam, atq; animo defectum figures, & is non vultu, voce,tremore non omnibus modis & sibi,& sepulto auxilium clamet: fabula est. Si tertio cordatum describas, qui audita re, adiumentum pollicitus sit, tum quòd Scotus desperauerit, quòd caput eliserit, quòd in sepulchro obierit, fabula est: nisi patientiam cum impatientia copules, vt Scotus absq; promissa spe patiens expectando,pulsando,clamando,spe promissa impatiens euadat ad sui euectionem vsque. Iam verò cum reserato sepulchro defuncti caput elisum apparuit, Franciscani, & in primis superiores cadauer impium sacro loco exturbare debuerant; sed non exturbarunt,quia nec inuenerunt: nec etiam quæsiuerunt, qui causam, cur quærerent, non habuerunt. Profectò arcta in vrna casu lapsus, vel offendens mortali non elidetur ictu,cum non modicam excussio mortalis violentiam,non leuem impetum requirat: ergo sui apparuisset interfector. Spero te non præsumpturum fratres suæ fuisse salutis immemores: pro damnato damnari voluisse, & animas proprias cælo extrudi, quàm sacrilegũ corpus templo extrudere maluisse. Itaque in Scoti obitu festinatum furus personæ dignitas diuturnũ clamorem auditoris conditio, capitis elisionem facer locus refutat.

Scripto-

Scriptorum de Ioanne Scoto illi sunt maximæ X LV.
authoritatis, qui eius morti aut loco, aut tempore propiores: nam ij res in ipsius obitu gestas facilius assequi potuerant. Ioannes Scotus Franciscanus in Agrippinatum Colonia vrbe Germaniæ preclarissima obijt: Germani scriptores propterea consulendi. Ioannes Scotus Franciscanus summo historicorũ consensu annum 1308. extremum aspexit: illius sæculi scriptores itaque accersendi. Sed hi nihil insolitum in Dunsiano funere nacti sunt, qui nihil scripserunt. Primo sæculo Antonius Andræas Ioannis Scoti auditor duodecim plus minus annis post præceptorem defunctus in commentarijs nomine Scoti editis ad calcem 12. Metaphysicæ scribit. *Tàm sententiando, quàm notando sequutus sum doctrinam illius subtilissimi, & excellentissimi Doctoris, cuius fama, & memoria in beneditione est: qui pote sua sacra, & profunda doctrina totum orbem adimpleuit, facit resonare, scilicet Magister Ioannes Duns, qui fuit nationes Scotus, Religione Minor.* Hæc ille. Bartholomeus Pisanus in conformitate vndecima, par. 2. car. 113. col. 1. *Prouincia*, inquit, *Coloniæ habet septem custodias. Custodia Coloniensis habet locum Coloniæ, in quo iacet Doctor Subtilis frater Ioannes Scotus, qui ibidem lector decessit.* Opus conformitatum editum est anno 1385. prout initio libri comprobatur. Ego, quod salua omnium dignitate dictum velim, pluris æstimo Pisani silentium, & Antonij Andreæ locutionem, quàm cuncta recentiorum inuenta.

Germanorum insuper nullus ante Bzouium XLVI.
hanc de funere Scoti sententiam asseruit: sed aut nihil de illius ægritudine dixit, vt A. Milmanus in Chronico Coloniensi, & Abb. Trithem. in Chron. Hirsaugie. qui secundo post Scotum sæculo claruerunt. Aut solam apoplexiam commemorauit, sicut Gulielm. Eysengren. Spirensis in catalogo testium

est,illud aut eidem fuit speciale,aut commune cum cæteris fratribus.Commune antrum esse non potuit duas ob causas, primam, quia nulla est apud Franciscanos Agrippinenses vacua tumba, neque antea fuisse,aut est in mẽtibus hominum memoria,aut in Ecclesia, vel conuentu vestigium. Secundam, quia Scoti ossa non potuissent ab aliorum ossibus secerni, quæ tamen hoc anno 1619 die decimatertia Ianuarij plurimis amplissimis viris inspectantibus in pila lapidea bipedali, seorsim inuenta sunt: itidem & anno 1509. effossa, & reperta, vt nobilius eisdem bustum præpararetur ex auricalcho, quale nunc visitur. Similiter antequam in medium chori transferentur, proprium habuere monumentum. Duas enim sepulturas habuit Scotus, priorem accuratissimè notat Abbas Trithem.in Chro.Hirsaug. Vrbem, Ecclesiam, & tumulum indicans, nempe Coloniæ, in Ecclesia Franciscanorum, ante introitum Sacristiæ. Posteriorem notat Chronicum Colon.in medio choro Ecclesiæ Franciscanorum, in quẽ locum honoris causa maiores nostri Ioannem Scotum transtulerunt. Inuestigaui ferè superstitiosius vtrunque locum, sed in neutro inanis arcæ signum vllum inueni.

Hoc tantum anno 1619. iussu Reuerendissimi Patris Generalis Magistri Iacobi Bagnacaballensis, XLVIIJ me præsente, die prædicta 13. Ianuarij Dunsianus loculus fuit eruderatus, & in cameræ formam extructus. in quem 15. eiusdem mensis, magno Scoti decore, magna Patris Generalis pietate in studiorum nostrorum parentem, arca plumbea inclusa, Dunsij ossa fuere denuò recondita. Peculiare igitur sepulchrum Scotus obtinuit. Atqui eo casu dato, si quis afferat festinatum fuisse ipsius funus, tardus est mente, quando velit vacuam vrnam illi etiam primitus ædificatam. Restat, vt vacua non

fuerit. Hæc religionis noſtræ antiqua ſepeliendi conſuetudo in Prouincia Colonienſi noſtra ſeruatur in hodiernum diem, Quæ cum ita ſint, patet iuſtè ab Auberto Miræo decretum fuiſſe, Iouium fabuloſo mortis genere vſum in Dunſiano elogio.

XLIX. Iam vides, frater chariſſime, te ſoliditate veritatis delectatum, a Iouio, ceu polypode ſcopulo hærente, cirris falſitatis implicitum. Nam & tu quoque is: *Hoc anno volens nolens ex humanis abiit Ioannes Dunſius*. Sed qui tàm altum Scotici cordis arcanum penetras, nonne & ardentiſſimam deuotionis flammam erga Beatiſſimam Dei Virginem genitricem mellifluis ignibus Dunſij viſcera depaſcentem, cogitatus, affectus, ſermones, actiones pleno iure ſibi vindicantem, Scotumque interius, & exterius exurentem vidiſti? Quid ad Scoti mentem excellentius, quàm Deiparentis excellentiæ? Quibus inueſtigandis pernici volatu, aquilino intuitu (ſine me tantiſper excurrere) eo vſque proceſſit, vt nouas, admirandas, penè incredibiles obſeruarit, obſeruatas protulerit, prolatas perſuaſerit. Quam multi ex omnibus Eccleſiaſticis ordinibus Pontifices, prælati, cleri, principes, populi, regulares, viri, mulieres in Immaculatæ Conceptionis Mariæ feſto Scoti, Scoti, inquam, emoti doctrinis conciones, diſputationes, declamationes, poemata, ſolemnitates, ieiunia, orationes, donaria, ſacra in Dei honorem, & Mariæ beatitudinem celebrandam conferunt? Igitur & per Scotum, atq; Scotiſtas Beatam eam dicunt omnes generationes. Priuilegia Reginæ vniuerſorum tum plurima, tum eximia alij pij, & docti viri prouexere. At Scotus quàm admiranda! Hieronymus Marianæ carnis virginitatem ab homine non violatam docuit, Ioannes Dunſius animæ virginitatem non contaminatã à diabolo. Auguſtinus corpus virgineum à putredi-

Ælian. var. hiſto. lib. 1. c. 1.

Luc. 1.

ne præſeruatum aſſerit, Ioannes à culpa putredinis illice. Cyrillus Mariam Dei Matrem, Ioannes gratia Dei filiam ex Deo natam tutatur. Bernardus ab omni proprio immunem peccato, Ioannes etiam à protoplaſti culpa innoxiam fuiſſe tuetur. L.

1. Si Deiparam ad Deum conferas, Ioannes Scotus inter auguſtiſſimam Triadem, & intemeratum Triadis Sacrarium perpetuas amicitias agnoſcet.

2. Si ad Chriſtum redemptorem, Ioannes Scotus vnicam perfectam appellabit, in qua ſola perfectiſſimus redimendi modus præſeruatiuus eluxit.

3. Si ad Angelorum cæleſtes choros conuertaris, Ioannes Duns æmulam Angelicæ afferet innocentiæ, quæ ſola fuerit ex hominum genere innocens.

4. Si ad homines, exemptam ex hominibus dicet, non Adæ ſemine, ſed Chriſti ſanguine ſub arbore malo, vbi mater Eua corrupta fuerat, ſuſcitatam.

5. Si ad gratiã reſpicias, Doctor ſubtilis gratiam Mariæ coęuam tradet, quove momẽto anima creata, eodem concreatam eſſe charitatem exclamabit.

6. Si ad peccatum, vociferabitur Deiparam eſſe lucem perpetuam ad omne omni ex parte peccatum, originale, mortale, veniale depellendum.

7. Si ad legem Dei compares, Dei poteſtatem in virginum virgine non ſub lege, ſed ſupra legem aperuiſſe declarabit: ac legem non pro matre, ſed pro omnibus conſtitutam.

8. Si ad authorem tranſgreſsionis diabolum, Deiparam docebit Scotus eſſe ciuitatem Dei, nunquam hoſtili pede calcatam, ſed quæ pede caput antiqui hoſtis proculcarit, contriuerit.

9. Si mentis, & corporis vinculum perſcruteris, ſubtilium Princeps eam pacis aſylum affirmabit: in qua fomite ſemper extincto, nunquam caro aduerſus ſpiritum, nunquam ſpiritus aduerſus carnem concupierit.

10. Si mentem, & mentis vires inquiras, ab omni seruitute corporis, & phantasmatum exolutas fatebitur, & vel primo creationis momento circa creatorem operantes.

11. Si corporis labores admireris, Ioannes Mariæ seruus enũciabit meriti exercitia, nõ supplicia fuisse labores: patienti Diuæ decorem, peccantibus nobis emolumentum satisfactionis afferentes.

12. Si conceptionem exordium vitæ, immaculatissimam: si partum vitæ medium, iucundissimũ: si mortem, vitæ epilogum incorruptissimam prædicabit. Et vno verbo, quam Gabriel gratiam intensissimam nunciauit, Gabrielis imitator Scotus extensissimam concludet. Talibus duodecim stellis caput, hoc est, initium Reginę mundi Doctor subtilis coronatum, tali diademate redimitum promet.

LI. Qui ergo Diuam Virginem ab omni mortis tum animæ, tum corporis exoluit lege: is ab eadem Virgine in teterrima est morte desertus? Ea ne est Mariæ in suos pietas, fauor, auxilium? Hæc protectio? Nempe desertio. Nonne tot priuilegia promeretur à Virgine, quot laudando in ea priuilegia publicauit? Duo saltem considerem; Dunsius perpetuam Dei amicam dixerit illam, à qua relinquitur perpetuus inimicus? Nec in vltimo impetrauit momento protectricem, qui protectam etiam in primo defendit? Defendit Scotus apud homines, nonnunquam aduersos: Maria non apud Deum sempiternum amicum. Vita, & dulcedo seruorum suorum neutiquam in tam amara morte Scotum sibi addictissimum reliquisset.] Iure Bernardus matrem gratiæ, matrem misericordiæ his affatus verbis. *Sicut à te despectus, & auersus necesse est, quòd pereat: sic ad te reuersus, & à te respectus, impossibile est quod pereat.* Hic sistam: tibique in beatam Virginem propensissimo decernendum demandabo, an deceat

deuotum tantæ Reginæ tam tetra morte fœdari. LII.

Habes, mi Bzoui, quid de Ioannis Scoti dormitione censeas, Habeo & ego quid scribam in ijs, quæ sequuntur exequias. Scilicet ab epicedijs ad epitaphia transgredior. Epitaphia refers Iani Vitalis, & Latomi, quibus cuncta Scoto diripiuntur, ne nomine quidem, nisi infami relicto. Vera epitaphia velut publica instrumenta penes Tossninanum accipere poteras. Illa hoc loco apponere non grauabor. Antiquum Ioannis Scoti cænotaphium accipe.

Clauditur hic riuus, fons Ecclesiæ, via viuus,
Doctor iustitiæ, studij flos, arca sophiæ:
Ingenio scandens, scripturæ abdita pandens,
In teneris annis fuit, ergo memento Ioannis,
Hunc Deus ornatum fac cælitus esse Beatum.
Pro patre transito modulemur pectore grato.
Dux fuit hic Cleri, Claustri lux, & Tuba veri.

Cui adiecti sunt quatuor versiculi paulò rudiores, quando ex prisco ante portam sacrarij sepulchro Dunsij ossa in medium chorum Ecclesiæ Franciscanæ Coloniensis sub campanam translata.

Hic lector Scotus Subtilis sit benè notus.
Doctor humi stratus, hac subq; nola tumulatus.
Pro quo orate, Christi veniam flagitate,
Dicentesq; piè, tu summe Deus miserere.

Forsan in tertio carmine legendum, *Pro quo rogate:* & in quarto, *Dicentesq; verè.* Sed criticam limam non amant hæc metra. Ipsa in antiquo manuscripto Bibliothecæ nostræ Coloniensis, qualia retuli, offendi.

Epitaphium modò subscriptum in æneo tegumento super Scoti sepulchro sequitur.

Ante oculos saxum Doctorem de primit ingens.
Cuius ad interitum sacra Minenerua gemit.
Siste gradum, lector, fuluo dabis oscula saxo,
Corpus Ioannis hæc tenet vrna Scoti.
Anno milleno ter CCC. cumq; adderet octo,
Postremum clausit letho agitante diem,

Recensuit & Henricus Vvillot Belga in Athenis Orthodoxorum eadem epigrammata: & Bzouius si amicè asperiora supprimere: si ambiguè scribere voluisset, aut vtraq; tum laudis, tum probri. aut neutra referre debuerat.

LIII. In Epitaphijs cribrandis non morabor. Ex Latomi Epigraphe duntaxat reijciam dubitationem illàm diuini, ac humani iuris Scoto impositam. Quæ dubitatio aut ex parte obiecti est, quasi ex se sit indeterminatum, ad instar contingentium: hoc autem pacto indeterminata esse nequeunt iura diuina: alterum namque contradictorium ab æterno in eis est determinatè verum. Aut ex parte subiecti dubitantis, quasi Scotus de iure diuino dubitauerit; sed & hoc falsissimum esse pro comperto habeo, atque in Matenesium conuici: cum quo & Bzouius conuictus, si tale quippiam de Scoto arbitretur. Verum hæc iniuria tàm est enormis, scilicet Scotum in fide dubitantem criminari: vt vix, ac ne vix quidem, eam in Bzouium cadere posse crediderim. Aut denique dubitatio est in actu, seu modo dubitandi, quo scholasticus per modum dubitantis catholicum dogma proponit, in vtranque partem problematis argumentatur, mox confutat falsam, confirmat veram pro viribus à natura, & authore naturæ largitis. Hunc dubitandi modum summam per vtilitatem vniuersa probat Ecclesia, quem qui reprobet, è catholicorum castris transfuga esse videtur. Si verò aliquem non

in dubitandi modo communiter sumpto, sed specialiter in modo á Scoto assumpto defectum sugillet Latomus, ob quem, tanquam ob facinus, vita Scoti in dubium sit vocata; oportebat expolito illo carmine cum accusatione, causam quoque accusationis innuere. Talis defectus nondum detectus est, neque detegetur, quum simili methodo Scotus vtatur disputando, qua cæteri scholastici summo cum fœnore vsi sunt. Sed quis in Doctoris subtilis modo næuus inerit? Ob quem modum Ioannes Picus Mirandulanus discussum quid, & vegetum in Scoto laudauit. Ob quem Scaliger Scotum limam veritatis nuncupauit. Ob quem, lancem opinionum æquissimam Dunsium appellauerim.

Andræas á Vega in lib. de Iustificat. quæst. 11. cat. 841. assentitur, dum inquit. *Sed tanta est mihi pietas in Doctorem subtilem, tamq; piam habeo opinionem de illius felicissimo ingenio, & catholica, & omnino singulari, & præcellenti doctrina, vt neq; illis argumentis adduci possim. &c.* Ita moderandum censeo Iacobinum Barbium in principio commentariorum ad primum sententiarum Scoti, vt piè sentiat, quæ alioqui immoderatè sentiret. Sic enim scripsit. *Quoniam Deo duce pro vtilitate eorum, qui insequi volunt sanctam, profundam, & infallibilem doctrinam Doctoris subtilis Ioannis Scoti, sum declaraturus, & expositurus eiusdem irreprehensibilis doctoris primum librum super sententias.* LIV

Paulus Scriptor vir acutissimus in prologo commentariorum super primo sententiarum Scoti, de viris, qui abdita fidei mysteria intelligere, & elucidare possunt, loquens, *Inter quos*, inquit, *salua pace omnium, vnum alijs pluribus præstantiorem Ioannem Duns natione Scotum intueor, qui prædicta omnia, tàm clarè, tàm luculenter, tàm subtiliter enodauit*

dauit, vt meritò omnibus admirandus, omnibus venerandus, & omnibus sit studio, & charitate amplectendus, Cuius sententiæ sunt profundæ, & vt patebit, propositiones fœcundæ intantum, vt vnis propositionis fœcunditas frequenter decem, vel viginti, & aliquando quinquaginta alias subtiles, veras, & vtiles propositiones virtualiter includat, Hi Scotistæ sunt.

Alienorum interim de Scoticis disceptationibus testimonium non negligam. Sit primus Iacob. Breullius Benedictin. Antieuita. Parisien.lib.2.car.704 *Quidam*, inquit, *cognomento à patria sua sumpto, Scotus vocatus, & doctor subtilis, cuius memoria nunquam est peritura, præsertim inter scholastica sapientiæ professores ob eruditionem, quam scriptis suis inseruit, hæreticorum impietati retundendæ opportunam.*

2 Staniſſaus Hosius Cardinalis in Confutatione prolegomenon Brentij lib.2.de legitimis iudicibus rerum ecclesiastic. carr.221. Vnius Scoti potissimùm authoritate ad Missæ valorem declarandum nititur aduersus rabidum illum hæreticũ. *Quamuis*: inquit, *multi sint, qui tractent quæstionem hanc, vtrum sacerdotis mali Missa tantundem valeat, quantum boni (tractant enim eam Thomas de Aquino, & præceptor eius Albertus, Bonaueneura, Ioannes Gerson, Gabriel Biel, & alij nonnulli) nos tamen, vel vnius Ioannis Scoti testimonio contenti erimus, & eius verba paucis ascribemus. Missa, inquit ille, non solum valet, &c.* Quam ex quolib, 20. authoritatem profundè, solidè. vbertim explicat, & ex ea totam catholicæ Ecclesiæ sententiã de Missæ efficacitate corroborat.

3 Ioannes de Ragusio Dominican. oratio. in concil. Basilien. habita de communione sub vtraque specie (& refertur à Canisio Antiquæ lectionis tom. 3. par. 2. car. 103.) ait. *Item Scotus. qui præ altitudine, & subtilitate doctrinæ antonomasticè nomen Doctoris subtilis in scholis obtinuit, in quarto sententiarum d. 8. in 1.*

quæst.

quæst. Vtrum Sacramentum à non ieiunis possit recipi, &c. Iam apparet, opinor, Scotica methodo sanctam fidem certam reddi, non dubiam. Hactenus ex Iouiano libro ponderata.

Reuertamur ad tua. Pergis in hæc dicta. *Sed in eum alij hæc luserint.* Luserint? Lusus in serijs? Loquere modò seriò, hæc in Scotum iniecta, verè ne, an falsò lusus appellas? Si falsò, cur scribis? Si verè lusus æstimas, nego lusus esse, siue hęc in se, siue in Scoto libres. Singula compendio numeremus. L V.

1 Lusus est Christianis dogmatibus illudere.

2 Lusus captiosè, ac proteruè de fide disputare.

3 Lusus rerum sacrarū fidem caligine figmentorum confundere.

4 Lusus inter Christianos serere lites immortales, optima vnius religionis ingenia perdere, crimen occultum, aut publicum perpetrare, sæuissima morte perire, cuncta humana, diuina que iura à sua soliditate diuellere. Lusus hæc sunt, hæc in Scoto lusus. Mimum ex funestissima tragędia. Ironia tua tecum sit, si ironia sit. Si æquiuocatio, vt ludere pro illudere sumas, do manus. Sed illusio sine defectu, aut boni, aut veri esse vix potest.

Suspicio alia quędam incedit, quatior nouo timore, de ornamentis, de lusibus abs te commemoratis. Sic etenim ais. *Sed in eum alij hæc luserint: ego virum, vel hoc nomine, laude dignum duxerim.* Itaque alij malè, tu benè de Scoto sentis: non sentis, quæ scribis. Aristoteles in 3. physic. acutè sanè, non concedit iacto telo fugere. Quid igitur de Dunsij doctrina, vita, morte nos doces? Quod alij dicunt, refero, quid sentiam, dicere supersedeo. Itane? Quid si & intus est equus Troianus? vtinam non sit: suspicionem tamen meam, quæ dicis, & quæ non dicis, confirmant. Quamobrem obsecro, ex tot de Scoto scriptoribus, vel egregiè laudantibus, vel L V I. 3. phi. tex. 51

neu-

neutram in partem statuentibus, vnum non retulisti? Vbi Abbas Trithemius? Vbi Petrus Rodulphius? Vbi Antonius Posseuinus, Gulielmus Eysengrenius, Robertus Bellarminus? Cum ergo laudantes, detrahentes, atque neutros describere valeres, non processisti ad dexteram, non in æquilibrio constitisti, sed sinistram in partem præceps datus es: cumque illis conspiras, quos & spiras. Ex ijs deinde, quæ dicis, patescet rursus, te cęterorum lusorum esse collusorem. Nonne Dunsium quasi Dædalum finxisti, eius opera labyrinthum errorũ censuisti, libros tenebris densis damnasti, vitam acerbissima morte conclusisti, annos ætatis permultos detraxisti, animæ salutem abstulisti, & artificiosè consarcinatam tum prosa, tum versu amarulentiam rescripsisti? Formido etiam, atq; etiam, ne lusus aliorum tuus quoque lusus.

LVII. Non sit tamen tuus, patiamur: tu quid iudicas? *Ego*, respondes, *virum, vel hoc nomine, laude dignum duxerim, quòd sensorum subtili profunditate, occasionem ingenijs obtusioribus protulerit, qui se attollerent ad arcana recondita, tum acri oculo peruestiganda, tum acri voce, & calamo ab aduersarijs fidei Catholicæ defendenda; nanq; horum non modica seges, etsi omnium sæculorum temporibus, vel hoc tamen, præcipuè postquam Raimundus Lullius, perditæ memoriæ homo scholam erroribus, ante triginta, & aliquot annos aperuisset. Tenebris Cimmerijs damnandæ sunt, quæ tenebricosus ille errorum magister inter mysteria proposuit; quibus eludendis, elidendisq; post Aquinatem solem, tum Ioannes Scotus, tum eius discipliuæ addicti Minoritæ, plurimum lanceati luminis attulere.*

Duo mihi videntur hæc laudatione comprehensa: occasio ingenijs obtusioribus prolata, & lumen lanceatum in Lullistas collatum. In aduersatiua præposita, *Sed in eum alij hæc luserint: ego virum,*

vel,

vel, hoc nomine, laude dignum duxerim. Aduersum quippiam alijs polliceri videbaris: at occasionem proferre obtusioribus, & ingenia optima perdere diuersa videntur, non aduersa: lanceatum tamen lumen afferre, & tenebris dãnari aduersa sunt omnino

Vtcunque sese res habeat, propter prægustatas amaritudines istarum saporem laudum, vel non sentio, vel gustare non audeo. Caue Scotista, ne torque aurea torquearis. Caue, ni fallor, laudem vel falsam, vel inanem: caue occultam accusationem. Laudat Scotum, & Scotistas, eo quòd contra Raimundum Lullium depugnarint, in quem S. Thomas, vel Thomistæ ante triginta, & aliquot annos dimicarunt. Nonne prædixi laudem inanem? Machinas post bellum .f. Triginta consumpserunt annos in Lullistarum erroribus euertendis Thomistæ (num parum fortes?) Quid Scotistis restabat, nisi actum agere? Nonne falsum encomium præsensi? Legi non nihil Scotum, vel præsenti occasione defensionis: legi, sed minus asseclas eius: sed quamuis memoriam, librosque versem, reuersem, nunquam Raimundum Lullium citatum inuenio: neq; errores, ipsius suppresso nomine, referri arbitror ab ipsis. Scripserunt vtiq; tot, ac tanta pro veritate, vt fidei propugnandæ aduersus quemlibet hæresiarchã sufficere possint: at Scotistas aperto prælio, quasi per feciales indicto, classico inflato, Lullium adoriri non memini. Vereor, ne solita ironia dicatur fędus initum inter Lullium, & Dunsium. Sanè titulo æquantur, tenebricosus Dunsius, tenebricosus & Lullius. Professione iunguntur, magister errorum Lullius prosa, Dunsius versu canitur. Gymnasio assimilantur, nã scholã erroribus aperit Lullius, sectã, vt sequentes falleret, Dunsius. Conferuntur libris, scripta quidẽ Lullij Cimmerijs tenebris damnãdã, Dunsij verò densis tenebris damnata. Nimis magna con-

conuenientia, vt vix è Scoti tenebris lumen ad elidendos, eludendos ve Lullij errores hauriri valeat.

LIX. Ad latentem accusationem transeamus Minores propriæ gloriæ minimè cupidi, maiorum gloriam, ne fint Scythis barbariores, qua decet pietate tueri satagent. Scotus ne, qui optima Minorum ingenia perdidit, proderit imbecillioribus? Ergo prorsus inutilis. Ioannes Scotus, & Aristoteles Stagyrita non frustra obscuri: parum profecerit hos legendo spiritus viuax, parum laboriosus: optimum ingenium, & improbum laborem afferat lector ad eorum penetralia vestiganda: obtusum, & segne ingenium non admittunt. Aliud est solidius. Priùs multa de Ioanne Dunsio infelicia lector videt congesta, deinde legit Minoritas illi addictos, quò ipsos ducem doctrina, & vita insigniter maculosum imitari conijciat: & sapientiam, probitatemque discipulorum iudicet de magistro: nam qualis magister, tales discipuli: qualis pater, tales filij: qualis princeps, tales subditi, Ecclesiastico asseuerante cap. 10. *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Fruantur speciosa hac laude Scotistæ, si placet: ego B. Bonauenturam sequor, non Scotum, quem nec alij sequerentur, si talem scriptis, vel gestis crederent. Plurimis Minoritarum Scotus probatur, quod in cæterorum nostri sodalitij doctorum non cedit ignominiam, egregiè illi scripsere, sed in Scoti gloriam, qui inter optimos melior habeatur. Cur autem ego S. Bonauenturam imiter, explicare, non est præsentis negotij. Vnum interea ictum præuertam, oportet: ne fortè opponas melius me fuisse facturum, si pro D. Bonauentura Fidantio, quàm pro Ioanne Dunsio lucubrassem. Fateor, melius est iudicio, & electione mea, non melius iudicio, & imperio superiorum, quorum voluntatem ego

meæ

meæ voluntati præferendam censui.

Et quidem vel hoc nomine, quòd tibi confratri meo, lectoribusquè tuis aliquot veritates aperiam, aliquot falsas de proximo sententias detergam, ad scribendum poteram impelli. Igitur mei superioris iussus, Ioannis Scoti honor, Abrahami Bzouij fructus, tres fuere causæ præsentis operis. Ne igitur, in visceribus dilecte charitatis, contradicas verbo veritatis vllo modo: veritatem in primis affectaui. Non apud me sermonem expolitum, elaboratum stylum inuenies, sed veracem, vt inueni-res, insudaui. Veritatem offero, & offero in spiritu lenitatis suauiores, quo possum. Nemo tibi obiecerit, quòd erraueris, nisi in errore persliteris, Non puduit B. Augustinum, quæ dixerat retractare: non B. Thomam, quæ scripserat, obliterare. Maior me es, doctior es, eloquentior es: libentissimè, atq; promptissimè ore, & corde confiteor. At D. Ioannes Chrysost. mulierculæ corripienti obtemperare nō dubitauit. Moyses prophetarum facilè princeps, & legalium sacerdotum primus Ietro Madianitarum sacrifico morem gessit. Denique grauissimi illi, & ornatissimi præsbyteri Iudithæ increpationem humiliter approbarunt. In meis hisce scriptis homo sum, errare potui: si quidem errati est, vt eandem & tu correptionis rependas vicem, etiam atque etiam obsecro: quò eliminatis tenebris veritate illibata vtrinque perfruamur. Fraterna charitas mutua est. Inter nos non sit odij fomes correptio, sed dilectionis incendium. Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, & flammam æternæ charitatis. Amen.

LX.

Eccl.4.

Exo.18

Iudith. 8.

IESVS, ET MARIÆ
gratias æternas.

Apo-


APOLOGIAE PRO IOANNE DVNS SCOTO DOCTORE SVBTILI.

LIBER TERTIVS.

IN PAVLVM IOVIVM Nouocomensem.

AVCTORE

Matthæo Ferchio Veglense.

I. AVLVS Iouius Nouocomensis vir in humanis literis apprimè eruditus, & historijs posteritati scribendis plurimum deditus, in libro, quem inscripsit, Elogia Doctorum Virorum, tertio elogio sub laudis prætextu minus laudabiliter Ioannem Scotum Ordinis Min. Conu. Doctorem subtilem nuncupatum excipit, carpit, vellicat. Profectò si pro aduersarijs est orandum, quemadmodum diuino iniungitur præcepto, nostra vel maximè interetit requiem æternam Iouio instanter exorare; quod & facimus, eique, quam Scoto non est largigitus, requiem deprecamur. Cæterum quoniam famæ neglectus crudelitas est, præsertim si non vnus aliquis, sed vniuersa communitas dignitate minuatur: diuinum legislatorem non offendet, qui cæleste placitum sequutus, curam de bono Seraphicæ reli-

Religionis nomine habuerit, atque communem ipsius Doctorem ab improbis accusationibus exemerit. Sed nec humanum lectorem verebitur, nam qui placido potest vultu legere, quæ offendunt: eundem, quæ defendunt, placidiore legere oportet.

Agam igitur de Scoto aduersus Iouium; non tamen composito sermone, aut selectis phrasibus: tùm ne verborum strophis veritas elidatur, tùm ne aduersarij, hoc est, Iouij artificium æmulari videar, sic etenim ille dictionis nitore animos lectorũ demulcet, vt mellito laqueo capti, florido serpente puncti pro auro scoriã, pro vero falsum, pro iure iniuriam innocentis ebibant: Si Scotus viueret, se ipse defenderet; at mortuus coram viuentibus causam dicere non potest: quare pium erit, impotentem defendere, atque mortuum ab iniuria vindicare apud viuentes. Doleo vehementer ante Iouij obitum neminem hanc prouinciã suscepisse, neminem à viuo de mortui obtrectationibus rationem exegisse: sed siue id maiorum incuria, siue grauiore cura ommissum sit, operæ pretium me facturum puto, si pro Scoto scutum opposuero, & iuxta Reuerendissimi Patris Generalis nostræ militiæ ducis imperium decertauero: Illud obseruo, Iouium viuentem in Dunsium ante ducentos annos vita functum sæuijsse: itaque par pari referremus, si nos viuentes in Iouium iamdiu mortuum inueheremur acerbius. Sed religiosa, & Christiana simplicitas libentius defensioni, quàm offensioni aditum concedit. Ergo vt rem aggrediar, ipsa Pauli Iouij verba, ne quis me falli, vel fallere velle putet, subijcio.

Iouius elogio tertio.

III. Nemo eorum, qui non insano Christianæ pietatis amore flagrantes, vltrò sese cænobijs in seruitutem

addixerint, Ioanne Scoto in grauissimis studijs, aut acrior, aut subtilior fuit, quum admirandis Commentationum voluminibus editis, nouam de nomine suo sectam conderet, & in Aquinatis scripta non dissimulanter inueheretur. Natus est in vltima Britannia, ad Calydoniam syluam, vt minus mirum sit, Anacharsin summæ sapiētiæ philosophum apud vecordissimos Scythas, crasso, atque ingenijs excolendis importuno cælo, patriam habuisse. Verùm hic proteruo, captiosoq; differendi genere Christianis dogmatibus illusisse videtur, cùm passim inducta quæstione dubitabundus, sacrarum rerum fidem nequaquam tenui figmentorum caligine confudisset. Seuit enim ideò lites immortales, quando eius placita, vel grauiter ab aduersæ sectæ professoribus oppugnata, ex aduerso ab eius discipulis acerrimè defendantur. Sed qui aliquot præclara eius ordinis ingenia, ad optimam frugem nata, distorto scilicet ad veritatem itinere, suspendisse, perdidisseque videtur: manifesti, aut certè occulti alicuius criminis apoplexia correptus, pœnas persoluit: ita quidem, vt nimis festinato funere, pro mortuo tumulatus, quum redeunte vita, ferò morbi impetum natura discuteret frustra ad petēdam opem miserabili mugitu edito, pulsatoque diu sepulchri lapide, eliso tandem capite perierit. E de alio quoque Ioanne Scoto, quod ex Gallicis Annalibus Crinitus recitat, verum esse crediderim, eum à coniuratis discipulis, Diui Cassiani exemplo, graphijs confossum, inulta morte concidisse.

Iani Vitalis.

Quod nulli vnquam hominum accidit Viator,
Hic Scotus iaceo, semel sepultus,
Et bis mortuus: omnibus sophistis
Argutus magis, atq; captiosus.

Lato-

Latomi.

Quæcunq; humani fuerant, iuriſq; ſacrati
In dubium veniunt cuncta, vocante Scoto.
Quid? quod & in dubium illius ſit vita vocata,
Morte illum ſimili ludificante ſtropha?
Quum non ante virum vita iugularit adempta
Quàm viuus tumulo conditus ille foret.

Hactenus ex Iouio.

Nemo æquus iudex inaudita parte decernit. Nemo igitur prudens lector Iouianis ſcriptis fidem adhibeat, antequàm noſtra perlegerit. Sed & ſi quam opinionem iam animo comprehendit, ſi eam ratio conuellet, authoritas labefactabit, ſi deniq; veritas extorquebit: ne repugnet, ſed eam animo, aut libenti, aut æquo remittat. Cũ aũt quæſtio ſit conſtituta de Iouij fide, ac veracitate, aliorum de ipſa iudicium tum vniuerſim in hiſtoria, tum ſpeciatim in elogio Scotico referre lubet, quò magis nos veritate, quam affectu niti demonſtremus, ſimulque & noſtram ſententiam aliorum ſententijs roborari doceamus. Itaque Iuſtus Lipſius vir noſtra tempeſtate grauiſſimus in Notis ad lib. 1. Polyticorum pag. 18. de Paulo Iouio in genere ita cenſuit. IV.

Iuſti Lipſij generale iudicium.

Paulus Iouius multorum iudicia magis acerba, quàm libera experitur. Acriter valde in virum eunt. Ego de eo ſic cenſeo. Stylo bonum, grauemq; eſſe, & planè ad hiſtoriam: iudicio, ac fide ambiguum. Vbi affectus non diſtrahunt; rectum, vbi illi adſunt, obnoxium. Ad gratiam, ſ. ſe dat, & auram. Laudationum nec cauſam ſæpè habet, nec modum. Genti ſuæ, Vaſtio, Medicæis nimis ex profeſſo addictus. His quidem ita, vt Laurentium Medicem parricidij reum, velut apud indices agat. Orationibus quoq; aut frigidus interdum, aut ineptus. Laudandus tamen, legenduſq; ob multiplicem, & variam rerũ ſeriem, quas redegit cõpoſitè, & dilucidè in vnũ hiſtoriæ corpus.

Imò nec in Persicis, aut Turcicis tàm vanus, quàm videri volunt: & fidem ei in plerisq; astruunt Turcici annales, qui nuper prodierunt. Hæc Lipsius.

Deinde Aubertus Miræus in præclaro suo opere, cui titulus, Chronica rerum toto orbe gestarum, sub anno *1308.* peculiare de hoc in Scotum elogio aduersus Iouium tulit iudicium.

Iudicium peculiare Auberti Miræi.

Ioannes Dunsius Scotus Doctor subtilis cognomento, Ordinis Frunciscani, moritur Coloniæ octaua Nouembris. Fabulosum illi mortis genus Paulus Iouius in Elogijs virorum doctrina illustrium affinxit: vtpote cuius nulla sit Coloniæ memoria in monasterij archiuijs, aut epitaphijs varijs tumulo appensis. Hucusque Miræus.

Ex horum authoritate virorum præiudicium facito, candide lector, de Iouiana fide, iudicium facturus perlecta elogij discussione. Ambigua fide est, vbi affectus distrahunt, qui an adsint aduersus Scotum in elogio apparet clarissimè. Fabulosa fide est, & in funere, & in ijs, quæ præcedunt funus.

V. Principiò scrutare, cur duos nobis Ioannis Scoti nomine proponat Iouius, & alterius historiam ponderoso Criniti testimonio fulciat, alterius fabulam nullius authoritate describat? Nonne quia hæc fabula, illa historia est? vnde & historiam probare solidè potuit, fabulam neque valuit, neq; pro eo quisquam valebit. Accuratè distinxit hos duos Scotos, quorũ prior monachus fuit, Athenis græcè didicit, in Gallia apud Carolum Caluum legit, vbi à Floro agitatus extit ob errores in libro naturæ diuisione assertos: inde in Angliam ab Aelfredo Rege inuitatus, & Melduni, & Oxonij docuit (nam eo rege, ac isto præfectore vniuersitas Oxoniensis enata est) cùmque seuerius discipulos increpasset, eorum sty-

lis confossus in Monasterio Malmesberiensi anno Domini 883. vt martyr honoratus est. Viuus malè audiuit apud Nicolaum Papam, eo quod librū Dionysij de Cælesti Hierarchia non consulto Pontifice in latinum transtulisset: mortuus in Synodo Vercellensi sub Leone IX. notatus est, damnato ipsius libro de Eucharistia. De hoc Ioanne Scoto scribunt.

Nauclerus in Chronico Gener. 30. anno 870.

Iacob. Middendor de Academijs, in Oxoniensem.

Antonius 2. p. tit. 16. cap. 2. §. 3. ex Vincentio in spec. Histor.

Sixtus Senen. in Bibliot. tom. 1. lib. 4. lit. I.

Baronius tom. 10. anno Christi 878. nu. 62. & 883. num. 41.

Nurembergens. post Carolum Caluum.

Bergomas in supplement. ad ann. 879. & 1052.

Theodor. Zuinge. tom. 1. pag. 846. & 1029. tom. 2. pag. 1195. & volum. 13. lib. 1. pag. 1876.

Platina in Leonē Quartū, & in Ioannem Octauū.

Trithemius in Catalogo de scriptoribus Ecclesiastic.

Ioann. Leslæus de origin. moribus, & rebus gestis Scotorū lib. 5. Rege 74. Donaldo VI. & alij plures.

Alter verò Ioannes Scotus inter fratres Minores eluxit, qui primum Oxonij docuit, postea Parisijs titulo Doctoris subtilis decoratus: vnde Coloniam Vbiorum concedens morte abreptus supremū diem clausit, anno salutis 1308. Iste nec viuens vlli Pontifici summo exosus, nec defunctus ab vlla Synodo reprehensus est. Huius meminerunt, qui sequuntur, authores. VI.

Antonius Posseuin. in Apparatu sacro lit. I.

G. Genebrard. lib. 4. Chronograph. sub anno mundi 5391.

Henric. VVillot. in lib. Athenæ Orthodox. sodalitij Francisc.

Petrus Rodulph. Toſſinian. in lib. 3. Hiſtoria ſeraph.relig.
Robertus Bellarm. in lib. de ſcript. Eccleſ. ab anno 1300.
Sixtus Senen.in Bibliot. tom. 1.lib.4.litera I.
Gulielm. Eyſengren.in Cathal teſtium veritatis.
Ioan.Rioche in Compendio temporum.
Paulus Langius in Chronico Citizenſe ſub anno 1330.
Volaterran.lib.21.Anthropologiæ.
Sabellicus lib.7.cap.4.exemplorum.
Chronic.Colonien.Germanicè impreſſa.
Trithem. in lib. de ſcript.Eccleſ.& in Chronic.Hirſaug.ann.1308.
Nurembergenſe Chronicũ, cuius verba tranſcripſit Iacobus Philip. Bergom. in ſupplemen. ſub ann. 1302. & author Appendicis ad ſpecul. Hiſtorial. Vincentij Belluacenſ.
Io. Leslæus in lib. cit.lib.7.ſub Ruberto Bruſeo Rege Scotiæ 97.
Antonin. Archiep. Floren.3.p.tit.24. c.8.§.2.& c.9.§. 12.& alij multi.

VII. Accuratè, inquam, diſtinxit Iouius;& callidè hos duos tantum ex eadem prouincia, & nomine indicatos retulit;voluit quippe à funeſto,ſed certo vni⁹ obitu alterius falſam necem confirmare, atq; ex illius maculata doctrina doctrinam huius facilius labefacere: quaſi neceſſario eos qui nomine,& patria coniuncti ſunt, criminum quoq; conſortes fuiſſe, ac pœnarum credere debeamus? Veruntamen inſuperabilis veritas, quibus impugnatur armis, expugnat. Iouius poſteriorem elogij partem confirmat, quò prior firmior appareat: cum ex aduerſo ſecundæ robur primæ imbecillitatem damnet,ſi oppoſita altrinſecus poſita, clarius promicant: ſcilicet non neceſſaria probat, neceſſaria non probat. Oppor-

tebat

tebat sanè dicta in Dunsium æque, aut etiam robustius confirmare, vel ex facti euidentia, quam Iouius longè posterior obt nere non potuit: vel certè probatissimo teste, cui res perspecta fuerit. Neutrum præstitit. Egregiè Ambrosius. *Morale*, inquit, *est omnibus, vt qui fidem exigunt, fidem astruant*. Si ergo c edulitatem non astruit Iouius, credulitatem ne poscat. Quid? quod in criminibus vberior desideratur probatio, quam in laudibus? Laudet secundum Iouius tanquam martyrem, etiam sine probatione, si placet: at nostratem non reprehendat nisi ratione, aut potenti authoritate nitatur. Ad hæc suspicionem inducunt in accusatione Iouiana loci, atque temporis suppressæ circunstantiæ. Iustè Hugo Floriacensis, Res gestas, quæ nulla temporum, aut regum certitudine comemorantur, inter aniles potius fabulas, quàm inter historias deputandas, scribit. Nonne illustrant historiam, quasi micantes oculi, locus, ac tempus? Cæcam igitur obijcit nobis historiam dicam, an fabulam? cui non cæcus lector assensum luculenter neget. Insuper elogium plerunque laudem significat, sed istud in Ioannem Duns contextum, sub nomine laudis insignem continet vituperationem: non secus ac liber quidam inscriptus de Animæ immortalitate, quo toto animus esse mor talis tradebatur.

Porrò elogium Iouij duas habet partes, alteram laudibus, alteram probris inspersam: latet anguis in herba, latet sub auro venenum. Ostro cruorem, melle fel abscondit, vt prioribus deliniti absque suscipione falsa exorbeamus, quæ sequuntur. Cautio sanè acuta laudes apponere, vt sincerior in vituperio videaris. Ita Iouium dixisse ferunt, Multa se in historijs vera, multa falsa posuisse, sed post centum annos omnia tanquam vera credenda VIII.

 fore:

fore: quo afferto, vel folo apud cordatos viros omnem fibi fidem detraheret. Id, quod miro apophtegmate Sabaudiæ Dux approbauit, cum enim ea prælia, quorum pars magna fuerat, in Iouiano legeret opere, Ioanne Botero in dictis memorabilibus testante, repentè exclamauit, Historias esse fabulas. Qui ergo in sui æui rebus fabulosè scribit, nonne istius fabulosè de Scoto narrasse à Miræo notatur, cum Iouium Dunsius duobus sæculis præcesserit?

Laudum verò Scoticarum ea est in elogio pars. *Nemo eorum, qui non insano Christianæ pietatis amore flagrantes, vltrò sese cœnobijs in seruitutem addixerint, Ioanne Scoto in grauissimis studijs, aut acrior, aut subtilior fuit: quum commentationum voluminibus editis nouam de nomine suo sectam conderet.* Quibus verbis, quantū capio, commendat Scotum à Religione, quoniam Christiano amore flagrans se cœnobio deuouit: à studijs, quibus ipse grauissimis desudauit: ab epitheto, nam subtilis Doctor appellatus est: à libris, & asseclis, quia suis voluminibus sectam de nomine suo nuncupatam condidit. At non de nomine suo, sed patriæ. Dulce, & decorum est pro patria mori: longe dulcius, ac decentius pro patria viuere, & ei gloriosis laboribus gloriam comparare. Profectò Scotus noster id assecutus est, cuius causa Scotistarum Academia, Scotiæ nomen non in postremis illustrauit.

IX. Laudationes istas esse veras, alias demonstrandum: Nunc laudantis veracitatem exploremus; nam qui est ad exprobrandum paratus, in commendando suspectus censetur. Quid ergo? Præconia isthæc veraci, an fallaci animo scripta? Si veraci, & posterioribus refragentur, igitur aut hæc priora, quæ plane vera sunt; aut posteriora, vt verè falsa sunt, falsa iudicabuntur. Si fallaci mente, iam reum falsi conuinctum habebo. Quàm diuuersus Paulus

Apo-

Apostolus à Paulo Iouio? Ille in 2. ad Corinth. 6. *Quæ participaticipatio*, inquit, *iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial?* Iste immitia mitibus geminauit, iniquitatem æquitati, tenebras luci, Belial Christo coniunxit in Scoto. Incredibili etenim fœdere sociat pietatem Christianam impietati.

2 Charitatis amorem odio.

3 Seruitutem religiosam scelerosæ libertati.

4 Grauissima studia figmentis inanibus.

5 Docto is virtutes vitijs.

6 Collectionem ingeniorum dispersioni, hominem denique notissimum ignotissimo, atque despectissimo. Beatus Iacobus cap. 3. appositè monet, *Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet fratres mei hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam?* Sed nonne Christianam pietatem cum impietate reuinxit Iouius? Vtique, cum prius Dunsium Christiana pietate præditum, posterius tradit impietate refertum; si tamen impietatis est, Christianis dogmatibus illudere, Diuinas Veritates figmentis temerare, sacrarũ rerum fidem confundere. X.

2 Nonne insanam discordiam cum non insano amore copulauit? Omninò, quia Dunsium non insano Dei amore flagrantem, immortalium satorem litium depingit.

3 Nonne religionem sceleribus amiciuit? libertatem seruitute? Etiam, nam cœnobij seruitus religio est; crimen apertũ, aut occultum scelerosa libertas, sed ambæ Scoto ascriptæ.

4 Nonne soliditatem leuitati coniugauit? Profectò si quidem Scotum grauissimis occupatũ studijs, futilibus, & inanibus figmentis lusisse, ac illusisse testatur.

Nonne Doctoris virtutes vitijs composuit? Ita sanè.

sanè, dum tamen concesserimus acrimoniam, & subtilitatem esse ornamenta sapientis; proteruias, & captiunculas vitia sophistæ; Scotus autem, quo nemo acrior, & subtilior, proteruo, & captioso disserendi genere armatur.

6 Nonne conditionem perditioni, collectionem ingeniorum dispersioni vniuit? Vniuit, nam quem sectam condendo præclara ingenia collige e narra uerat, eundem docendo perdidisse ingenia, suspendisseque refert. Demum hominem suis voluminibus mundo auditum, atq; notissimum, funeris tempore notum nemini: sepulchro inuolutum à nullo auditum, vel exauditum ostendit. Aduersantia isthæc in eodem simul fuisse nemo asseret: successiuè infuisse partim probatum est nunquam, partim neque probari poterit. Quamobrem si Iouius asserit ea Scoti præconia, & ea vera non sunt, verax non est; si vera sunt, reliqua ergo posterius descripta his aduersa, vera non sunt, & verax non est.

XI. Propero ad alteram partem, nempe ad accusationes; nam in primis obiecta diluere, atque (vt logici aiunt) per se depellere criminationes, per accidens laudes accersere mea interesse arbitror. Prima verò Iouij criminatio in Dunsium ea est. *Et in Aquinatis scripta non dissimulanter inueheretur*: At qui Ioannem Scotum legerat Posseuinus, longè aliter sentit, quàm Iouius. Audiamus, quæso, Posseuinum in Apparatu sacro de Ioanne Scoto disserentem. *Nunquam enim*, inquit, *suam sententiam profert in alicorum iniuriam, vel depressionem: quin quorum aut errores conuellit, aut opiniones excutit, tam id modestè, & adeò plerunque suppresso nomine facit; vt Christiano pectori hæsisse à Domino sapientiam) certè integram mentem) conijci possit*. Non vrget Aquinatem petulanti inuectiua; si tam modestè, atque tacitè

Aquinatis opiniones excutit.

Facillimè autem hanc Scoticam deprehendes modestiam Aquinatis respectu triplici ex fonte, hoc est ex generali opinionum discussione, speciali Scoti antagonista, nominum alienorum silentio. Atque vt à primo exordiar, Doctor subtilis nedum Thomæ Aquinatis, sed generatim Scholasticorum omnium discutit placita, vt potè Bonauenturæ, Alexandri, Henrici, Varronis, Præpositiui, Aegidij, Gotfredi, Heruæi. Cum igitur Scotus generaliter Scholasticos omnes, vbi eos à probabilitatis tramite arbitratur recessisse, postulet ad subsellia: nescio, quam ob causam speciatim Aquinati reluctari censeatur. Causa communis est, non eam Aquinati propriam Iouius affirmet.

Præterea Scoti antagonistæ speciales fuere duo: XII.
Scotus etenim se Henrici Gandauen. & Gulielmus Okam se Scoti constituit antagonistam. Euoluant, quibus per otium licet Dunsiana volumina, & re ipsa obseruabunt impugnari quidem Angelicum Doctorem à Subtili; sed hoc ferè præter intentum; at in Doctorem solemnem Henricum omnes neruos, diligentiam, acrimoniam, perspicacitatem, cogitationem intendit. Conflictatur cum Henrico Ioannes, ipsius placita refert, refellit, ponderat, impugnat, expugnat pro viribus. Hunc Scotus vel præcipuum inter Scholasticos iudicauit, quarè & hunc sibi aduersarium indixit, quò paucis emaculatis disputatrix Theologia redderetur candidior. Ideoque siue omnes, siue vnum aliquem delectum Scoto concertatorem spectes, eum Aquinatem non esse deduces. Controuersia verò propterea inter Thomistas, & Scotistas nota, quòd & Scotus, & Aquinas sequaces habuerint. Quòd si pergant ij Patres, qui à Regia Beatæ Virginis seruitute, Seruitæ nuncupantur, Henricum, quem suum esse

cogno-

cognouerunt, & principem literarij exercitus delegerunt, sequi, & voluere: atq; in disputando, docendo, scribendo producere: non dubito, quin ex acutissimis, & solidissimis tanti viri fundamentis multum negotij tùm Scotistis, tùm Thomistis facessant.

XIII. Tertiò, cum tot, ac taleis viros Doctor subtilis lacessat, aut raro, aut nunquam eos de nomine vocat, vt opiniones non opinantes refellere voluisse cognoscatur. Improbum idcirco laborem Scotistis reliquit, eos inquirendi authores, quorum dicta labefactat. Hinc margines ad Scoticas sententias adiecti fallaces; hinc Scotici Commentatores decepti, vt exempli causa cum in *1*.d.*3*.q.*6* Henrico acceptum ferunt, quòd respectus vestigialis sit ratitudo, qua res rata est: dist *13* q.*1*. Aegidio, quòd generatio, & spiratio per terminos productos differant: dist.*26*. quæst.*1*. B. Bonauenturæ, ꝙ Personæ Diuinæ per absoluta constituantur, & distinguantur; cum nihil minus hi Doctores senserint. Hinc etiam Gulelmus Vorilon opus compinxit, quod *Vade mecum* appellat, in quo collegit positionum à Scoto impugnatarum authores, & loca librorum: Eum verò exactè assecutum, quòd assumpsit, non ausim asserere. Equidem ad hanc dispungendam Iouij accusationem non modicum operæ insumpsi, legendo, versando, in memoriam reuocando Scoti libros, vt locos, in quibus Thomam notat, colligerem: nec plures tribus inueni. Primus est in *2*. dist. *2*. quæst. *11*. secundus in *2*.d.q.*9*. tertius in *4*.d.*6*.q.*9*.lit.N.in quibus Thomam nominat. Item in *3*.d. *24*.q.*1*. nomine præterito Aquinatis secundam secundæ citat. En quàm parcat personis Scotus. Neque Iouium hoc præterijt, qui non est ausus dicere, Scotum in Thomam, sed in Thomæ scripta inuehi. Verumtamen Scotus apertè Aquinatem non insequitur, cum ne nominet quidem: nec peculiarem habeat collucta-

In impressis à Philip. Bagnacaual. 1497.

torem, sed communem cum cæteris: in cuius theses tametsi quandoque insurgat, dicta non acerbè, sed liberè expungit, Doctorem tamen Angelicum, & reueretur, & honorat, sicuti etiam est omni reuerētia, & honore dignissimus.

Secunda in Dunsium obiectio à Patria sumitur, quam importuno ingenijs excolendis cælo esse testatur Iouius. Vnde cum Anacharsis in Scythia, & Ioannes Duns in Scotia, præclaro ingenio viri, orti sint: ex huius admirando euentu, illud minus mirum euadere prædicat. Scotia igitur magis inepta, quam Scythia mentibus, siquidem minus mirum sit præstans ingenium ex Scythia exortum esse. Scotorum erit, hanc notam abstergere, & se non minus calami, quàm ensis mucrone pugnaces docere. Quid verò Nouocomensi Patriam obijcienti Dunsium responsurum putamus? forsitan, quod idē Anacharsis cuidam Atheniensi respondit. Mihi quidem patria dedecori est tu verò patriæ: nequaq; sed Apostolica superfusum honestate: Vos nobiles, nos autem ignobiles; nos infirmi, vos autem fortes. XIV.

Primùm de Dunsij patria; deinde an fertilitate atque cultura ingeniorum polleat, mihi videtur esse dicendum. Disputant, & magno se fulciunt testimonio (vt apud Tossinian. lib. 3. Histor. seraph. relig., & Bellarmin. de scriptoribus Ecclesiast. videre licet) Angli in Scotos, Ioannem Scotum Scotis volentes eripere:

Ea est illustrium virorum conditio, vt ne vnam quidem patriam viui, quæ eos amplexetur, inueniant, multas mortui, eo quod viuos inuidia persequatur, auaritia deserat: mortuos ista cupiat ob gloriam; illa cum morientibus intereat. Ego Scotum Scotiæ negare non ausim, cuius rei potentissimum testimonium perhibet Antonius Andræas Scoti discipulus, & auditor in calce commentario- *Cice. in orat. 26 pro Archia poeta, de Homeri patria scitè.*

rum

rum nomine Scoti editorum in 12. Metaphyſ. quo loci apertè teſtatur Ioannem Dunſium eſſe natione Scotum. Mauritius de Portu Hybernicus in prologo expoſitionis ſuper vniuerſalia Scoti. *Nomen*, inquit, *authoris ſpiritualis regeneratione eſt Ioannes, cuius numen, & omen non deſeruit: dicitur verò Duns cognomento, vel potius à loco generationis ſic dictus. Patria Scotus, ſed vt reor de maiori. Artium Oxonij, & Theologia Pariſius dignitate Doctor; Ordinis Seraphici Minorum Religione. Cuius laudes addidiſſe, aliquid decerpſiſſe eſt. Superuacuis enim laborat impendijs, qui ſolem facibus nititur iuuare.* Id ergo nobis conuenit cum Iouio, Dunſium eſſe è Scotia.

XV. Quid ergo? tota ne Scotia, vel pars, in qua Dunſius natus aſſeritur mentibus importuna? Primum non conceſſerint Scoti tum armis, tum libris glorioſi. Hector Boethus egregia ingeniorum Scotorum facinora non omiſit. Ioannes Leslæus doctos è Scotia oriundos innumero numero commendat, inter quos Rabanus Diuinarum Literarum præclariſſimus Doctor conſcribitur. Poſſeuinus in Selecta Bibliotheca de Hiſtoricis lib. 16. ſect. 7. cap. 5. Scotiæ tribuit Sedulium.

Alcuinum fundatorem Pariſienſis ſcholæ.
Richardum de S. Victore.
Franciſcum Maronium.
Marianum Scotum Hiſtoricum; Vnum tamen

Dunſij præſtantiſſimum ingenium pro decem millibus computetur. Ita Gerardus Mercator in ſuo Atlante, in prima tabula de Scotia, ex Doctoris ſubtilis viuacitate aliorum collegit viuacitatem Scotorum, ſiue, is amicus, ſiue inimicus ſit author. *Ingenia*, inquit, *Scotorum viuida ſunt, excitata, ignea, ſapientiæ capeſſendæ maximè idonea. Nihil eſt, quod non ſuperare potuiſſet ingenium Ioãnis Duns Scoti ſi tempora modò cultum animi elegãtiorem ei non inuidiſſent.*

Nunc

Nunc in scholastico illo (curioso ne, an vtili?) de rebus sacris disputãdi genere, nihil eo acutius, nihil accuratius, nihil absolutius. Nec desunt Scotiæ Vniuersitates, altera S. Andreæ, altera Aberdoniæ: præter Anglicanas Scotis, vt potè finitimis, opportunas. Quæ si nobis Iouius in Scythia ostenderit, tum demum concedemus, minus mirum esse, si Anacharsis summus Philosophus apud Scythas ortum duxerit, quam si Dunsius summus Theologus apud Scotos.

Sin autem peculiarem locum Dunsio natalem Iouius incuset, tum credemus, cum indicarit. Repete, benigne lector, quæ de patria in elogio conscripta. *Natus est in vltima Britannia ad Calydoniam syluam, vt minus mirum sit, Anacharsin summæ sapientiæ philosophum apud vec ordissimos Scythas, crasso, atque ingenijs excolendis importuno cœlo, patriam habuisse.* XVI.

Satis fuit Iouio ad Syluam Calydoniam ortum scribere, locum natalem siue vrbem, siue pagum prætermittere. Quid ita? Arte indiget artificiosi lector scriptoris; quem enim sylua, præsertim Calydonia præfert, nisi stipitem; incultum, horridum, barbarum, vno verbo, syluestrem? Omnibus lædit verbis, cui lædere in animo est. Cælum inamænum, terram syluestrem sortitus: an propterea obscurior? Quales quales lares obtinuerit Ioannes noster, obscuros, aut claros, neutrum affirmo, qui neutrũ confirmare valeo, fulget gloriosior: si nobiles, ab eo nobiliores; sin humiles, ab eo exaltatos dixerim. Demosthenes Græciæ, Cicero Latij lumina, splẽdorem attulerũt maioribus, quem nõ receperant. Quapropter etsi dederimus, Ioannem Dunsium polo infausto, solo aduerso animorũ ornamentis progenitum, gloriam eius magnoperè augemus. Nec enim magnum est inter bonos bonũ, aut inter doctos doctum esse: sed eximiæ laudi vertitur, inter hebetes, & stupidos, viuacissimum, atque doctissimum extitisse.

Mystis

Mystis Aegyptiornm, symia inter asinos collocata, hoc est, sapiente inter ignaros, istud ipsum hieroglyphica nota demonstrantibus.

XVII. Porrò neq; isthæc à nobis data animi gratia, veritatis causa sunt. Nam verum non est, Dunsij solum patrium esse cultui bonarum artium infensum, non enim dispungit Ioannes Lessæus in lib. de origine, mo bus, & rebus gestis Scotorum, ad initium Scotiam describens, & in ea prouinciam Marchiam. *Priores, inquit, partis prouinciæ prima est Marchia, quæ Tueda flumine Germanicum mare ad Forthæ æstuarium intrante, & Laudonia terminatur. Frugum hæc feracissima est, sicut, & ea, quæ ad mediterranea illi adiacet, Tisedalia, à Tiso amne Tuedam influente ita dicta: quarum vtraq; numeroso, eoq; strenuissimo milite abundat. Nam propter bellum inter Scotos, & Anglos frequens, incolæ harum partium, quæ nullo omnino aut flumine, aut monte non peruio distinguuntur, armorum, ac belli peritia, maiori valent, quam reliqui. Hi nostro sæculo aduersus repentinas hostium excursiones extructis in turrium fastigijs, aut eminentibus, vt illic fit, locis indicibus flammis, quo significetur imminere ab hoste periculum, circiter decem millia equitum viginti quatuor horarum spatio facilè coegisse memorantur. Habent hi raras syluas, raraque alia ignis fomenta, quibus cætera omnes nostræ prouinciæ abundant. Vnde fit, vt stipulis, maximè Marchiani lignorum loco vtantur. Inter istos complures sunt viri nobiles, & vt pleriq; omnes, præcipuè tamen Marchiani, iustitiam colunt, & rebus politicis student; dissimiles admodum cæteris ferè omnium limitum incolis, qui nec pace, nec bello à prædis abigendis compesci possunt. Habet Marchia oppidum munitissimum, cui nomen Beruico, olim Ordolucia nomen erat, quod sæpè in nostra, sæpè vicissim in Anglorum (qui illud iam tenent) ditione esse solet. Vicos potissimum habet Dunseium, ex quo Doctor ille celeberrimus cognomine Subtilis oriundus erat.* Hæc attexta

sunt

sunt ad singularem laudem eius Prouinciæ, quæ Ioannem Dunsium mundo protulit, si quidem cæli, ac terræ felicitate fruitur, militari fortitudine cum pacificorum iustitia, ciuilique disciplina connexa.

Tertio loco subijcitur non iam alienæ ignobilitatis, sed proprij de decoris probrum indignissimū, & quidem duplex, alterum probo viro, alterum pio Christiano intolerandum. Sic namque Iouius, *Verum hic proterno, captiosoq; disserendi genere Christianis dogmatibus illusisse videtur.* Qui veritatis illusor, is non probus vir, q Christianę veritatis illusor, is reprobus Christianus. Si autē Scotus illudit Christianis dogmatibus, certè & veritati illudere est dicendus. Iam verò iuxta Philosophum in 6. Ethic. Omnis electio recta, & omnis ratio recta ex recta ratione procedit; nullam itaque electionem, aut actionem studiosam obibit, qui veritatem intellectu non tenet, sed abijcit, dum illudit; non igitur probus, qui proteruus, captiosusque in veritatem eat. Sed neque Christi fidelis, qui Christi assertis illudit: Quoniam si humanas veritates aspernari ducamus improbum, diuinas irridere impium iure meritò censebimus. Grauissimorum reus delictorum agitur Scotus, dum ex hominum, & ex Christianorum consortio ab Iouio sublatus est. XVIII

Quæ est hęc tàm admiranda rerum mutatio? Antea Scotum acrem, & subtilem, nunc proteruum, atque captiosum cernimus? Finitimi sunt proteruus acri, captiosus subtili; sed ita dissident, vt prodigus à liberali, audax à forti, iniustus à iusto. Vnde nam ista deducit Iouius? Nonne ex libris Scoticis? At qui potest in eisdem probus, & improbus deprehendi? Nam acer, & subtilis, probus; proteruus, & captiosus improbus. Logicam ergo, atque Theologicam Scoti doctrinam carpit, illam captiosam, atque proteruam, hanc illusoriam dictitat.

Solidè Aristoteles in 8. Physic. 15. contex. docet. Non oportere aliquam sententiam irrationabilem ponere, sed eius demonstrationem, aut inductionem afferre.

XIX. Tametsi verò Iouius subtile disserendi genus captiosum, & proteruum esse non probet, nos tale non esse probabimus. Syllogismus demonstratiuus, & probabilis à captioso, seu deceptorio discriminantur fine: quod illi veram conclusionem, prior necessariam, posterior probabilem colligât, captiosus verò falsam, sed apparentem. Nullus est sophista, quin ad aliquem errorem eorum, quos in 1. Elench. cap. 3. commemorat logicorum princeps collimet. Scotus autem vel colligit suo syllogismo Christianum dogma, vel opinionem humanam. Si Christianum dogma concludit, verum concludit, & captiosus non est, cuius enim finis non est deceptio, ille syllogismus non est deceptorius. Si opinionem humanam colligat, meminerit Iouius, eam non esse dogma Christi, neq; ob eam quisquam illusor erit Christianorum dogmatum, dùm eis opinionem repugnantem non doceat. A fine igitur constat, cum Doctor subtilis veras conclusiones Christianas persuadere nitatur, neque decipere quenquam, neque in eis credendis esse proteruum.

Præterea si non erret in Christiana veritate Scotus, quam vt conclusionem scholasticus Logico theologus intendit iuxta S. Bonauent. in prol. 1. sent. q. 2. inuestigemus, num in argumentis erret. In quibus ergo? In ijs, quæ contra conclusionem erigit, an in ijs quæ pro conclusione. Illa, quæ contra conclusionem creditam sunt, quis esse captiosa dubitat? Pro quibus si Scotum carpas, nonne D. Thomam, D. Bonauenturam denique scholasticos omnes redargues? Præterquam quòd id vitio vertes Dunsio, quod laudê demeretur maximam; quid. enim

enim optabilius Christiano, quam vt captiosissima quæq; argumenta & colligentur, & dissoluantur: quo omnis hæreticorum fraus, omne philosophorum supercilium, omnis Iudæorum durities, atque omnium omnino infidelium os obstruatur? In qua re mirandus est Scotus. Lege Iacobum Breullium Benedictin. Antiqu. Parisien. lib. 2. Sin'autem rationes pro credita positione sophisticæ esse dicantur, quæram, an Scotus volens eas fecerit, an nolens? Non volens vtique: si nanq; diuinam spirat gloriam, ergo vel maximè efficaces, siue id verè, siuè falsò opinetur, proferet rationes: si propriam captat, ex efficacioribus argumentis eam se cōparaturum non dubitasset. Quid hic refractarius Iouianus obijciet?

Mihi verosimilius est Ioannem Dunsium cælesti zelo succensum, meliore, quo licuit, ac potuit disserendi genere sacra fulcire dogmata voluisse. Nūc & verbis Iouij vtar. *Nemo eorum, qui non insano Christianæ pietatis amore flagrantes, vltrò sese cœnobijs in seruitutem addixerint, Ioanne Scoto in grauissimis studijs, aut acrior, aut subtilior fuit.* Si perspicacissimus intellectu, si Dei amantissimus affectu, qui potuit tàm desipere, vt spontè falleret? Sin'tandem eum non consultò, sed præter spem captiosa construxisse putes argumenta, iam id humanæ imbecillitatis est error. Qui hominum nunquam errat, is errori Scotico non ignoscat si Scotus errauit, ex ignorantia, non ex malitia errauit. Tu tamen ne tam crebro id contigisse putes, quam Iouius vellet: nam Scotus acutissimo fuit ingenio, atque natiua quadam, incredibili vigilantia, & constantia præditus; prout eius opera clamant. Logicen item, & præsertim sophisticarum locos argutiarum adamussum calluit, quem eius antagonista Okam magnum logicum, Scaliger Speciosiore titulo, limam veritatis appellauit. Neque exercitatio illi defuit, cum eo præser- XX.

tim tempore floruerit, quo scholastica Theologia perfectionem sumpsit, quo disputationes plurimũ valebant: Nonne & exercitij causa disputationes, quas Collationes Scoti dicunt, peregit? Nonne semper victor, semper inuictus disputando inuentus est? Tantæ huic accessioni naturæ, artis, exercitij errorem excidisse rarius crediderim, maximè cum perpetim in opere scotico Vegetum quiddam, atque discursum iuxta Ioannem Picum Mirandulanum reperiam. Liquidò, ni fallor, constat, Ioannem Scotum captioso disserendi genere in Christianis dogmatibus vel rarò, vel nunquam vsum.

XXI. Præterea, proteruus asseritur Scotus. Continuò veniunt in mentem Latomi carmina

Quacunq; humani fuerant, iurisq; sacrati
In dubium veniunt cuncta, vocante Scoto.

Occurrunt & Iouij pro se dicentis, *Quum passim inducta disputatione dubitabundus sacrarum rerum fidem, &c.* Proteruus nimium asserit, Scotus ad aures Latomi, & Iouij dubitat, non igitur proteruus: aut ergo Iouius, aut Latomus fallitur. Imò falluntur ambo, dum Scotum circa diuina dogmata, vel dubium, vel proteruũ confingunt. Si res ab Ecclesia, & ipsius Pastore decreta sit, immutabilis est Scotus. In ea re, si pius es, constantissimum: sin' secus, pertinacissimum Dunsium dixeris, monte quouis solidiorem. Si res infinita sit à Christi Vicario, cunctatur Scotus, ambigit, nutat. Lege in 1. dist. 3. q. 1. in 4. d. 3. q. 2. art. 3, &, d. 5. q. 1. ad vltimũ. At in prioribus veritatibus determinatis neq; dubius est ob quęstionem, neq; ob certitudinẽ proteruus. In veris indefinitis hæsitare cordati est, in definitis cõstare, fidelis; nam vt is, qui citò credit leuis est corde: ita dubius in fide infidelis est.

XXII. Duo hic mihi videbantur crimina obiecta, alterum illusio veri, alterum illusio Christiani veri: nã

vbiq; sophista odiosus, in superna autem doctrina detestandus. Nunc in singulis gliscunt verbis apud Iouium accusationes, tres enim sunt proteruus, captiosus, illusor veritatis, sed Christianæ. Vnde illusor veritatis asseritur Scotus, cui nil magis cordi fuit, quàm veritates illustrare, quærere, inuenire, roborare, defendere? Cuius studium fuit & perennis contemplatio, veritas? Qui nullam speciosiorem orationem agnouit, quam veraciorem? Ioannes Picus Mirandulanus in Epist.6. ad Hermol. Barbar. scitè, Lucretium venustè loquentem opponit Scoto veraciter disserenti, Scoto, inquam, inter tot præclarissimos, quos producere potuit Philosophos, atq; Theologos. Eius hæc sunt verba. *Alia specie quispiam inter philosophos, alia inter Poetas recipiendus. Scribat Lucretius de natura, de Deo, de prouidentia, scribat ex nostris quispiam, scribat Ioannes Scotus, & quidem carmine, vt sit ineptior. Dicet Lucretius, rerum principia, athomos, & vacuum, Deum corporeum, rerum nostrarum inscium, temerè omnium fortuito occursu corpusculorum ferri: sed hæc latinè dicet, & eleganter. Dicet Ioannes, quæ natura constant sua materia, specieq; constitui, esse Deum separatam mentem, cognoscentem omnia, omnibusq; consulentem: nec propterea quod vniuersa etiam infirma videat, ac moderetur, è sua pace minimum dimoueri; sed quod dici solet catienta mi catiena. At dicet insulè, rudìter, non latinis verbis. Quæso, quis in dubium reuocet vter poeta melior, vter philosophus? Extra omnem est controuersiam, tàm rectius Scotum philosophari, quàm ille loquitur ornatius; sed vide quid differant. Huic os insipidum, illi mens desipiens: hic grammaticorum (ne poëtarum dicam) decreta nescit, ille Dei, atq; naturæ: hic infantissimus dicendo sentit ea, quæ laudari dicendo satis non possunt, ille fando eloquentissimus eloquitur nefanda*, Talia vir sui temporis nullis secundus diceret

 de

de Iouio, & Ioanne, illum scilicet fando eloquentissimum, hûc sentiendo laudatissimum; imò supra omnem laudem. Ex his veritatibus à Scoto traditis, an illusor veritatis sit, perspicuè discernitur.

XXIII. Verum aliud aliquid videtur eruendum: non enim scribit elogij author absolutè Scotum sacris arcanis illusisse, verùm illusisse hoc disserendi modo captioso, atque proteruo. Sanè thesim, an hypothesim expendam, dubito: nam si disputatorium differendi modum cælestium dogmatum illusorem credit; planè fallitur, & ipse Iouius Deo, ac diuinis reuelationibus illudit, qui scholasticum disceptandi morem in Concilio Constantiensi probatum reprobat. Si autem Scoti modum singularem sugillat, sugillat Vniuersitatem & Parisiensem, & Ecclesiasticam: Parisiensem, quæ Scotum Christianorum illusorem dogmatum ex albo Doctorum Parisiensium non modò non ex punxit, sed eximio, ac singulari subtilitatis encomio inaurauit: Ecclesiasticam verò, quæ Christi, Christianorum ve dogmatum illusorem ex Catholicorum Doctorum numero non eiecit, sed Scotistas aliquos in Christi sede recepit. Profectò hinc Scoti probitas, & veracitas Christiana cognoscitur, quòd summus Pastor, qui super Christi gregem vigilans Catholicarum veritatum illusores captiosos, proteruos, impugnatores dānare nunquàm desistit, Ioannem Dunsium nondum damnauit.

XXIV. Quartam inflixit plagam Iouius ijs verbis. *Quum passim, inducta disputatione, dubitabundus sacrarum rerum fidem nequaquā tenui figmentorum caligine confudisset.* Vna est clausula, accusatio nè vna sit, actoris efficit solertia, creber est in criminationibus. figmenta Scoto attribuit, confusionem rerum sacrarum impingit. Quin illum ancipitem, ac dubio plenum (ex Gellio cogitabundus, dubitabundus, & alia id

Gellio lib. 10. cap. 15.

gen us

genus, copiam, abundantiamve significant) non concesserim; schola sticus etenim de veritate credenda certissimus, in vtranque partem inclinare videtur, vt in vnam duntaxat reclinet. Ne mireris, pie lector, si verborum significata sumam ex prophanis, vt Gellio, idem in vocabulis figmenti, & confusionis agendum esset; cum tamen, quia sacrū Doctorem in rebus sacris tuear, oppositum faciendum esse videatur. A sacris sacræ petendę voces, earumque connexus. Factus sum insipiens: Iouius compulit, qui loquendo paganismum potius, quàm Christianismum redolet; neque id longè petitum promam. Lege Iouij de viris doctrina illustribus primum elogium, in quo longæuitatem Alberti re, & nomine Magni, Christiani, religiosi, sancti, non Deo, sed (proh pudor) Dijs immortalibus acceptā refert. Ioannis Pici Mirandulani eximia Dei dona, Dijs superis ascribit. Sic pro Henrico VIII. Angliæ rege precatur, *Hunc Dij, Deaq; omnes seruent.* Et in Carolum Borbonium, tormenti globo interfectum, Deo iniuriam vlciscente, *Cum*, inquit, *Dijs tutelaribus telum in eum direxissent.* Deum vnum, ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur; Deos, vel Dominos dicere catholica religione prohibemur. Si talem habuit mentis assensum, qualem sensum verba resonant; Iouius gentilis eloquij æmulator, gentilis fidei, imò perfidiæ imitator, & idololatra fuisset. Qui castè olim locutus non est, dignâ modò castigatione percellitur. A tali viro infidelitatem crepante, Scotus ne laudari quidem vellet, tantum abest, vt reprehendi timeat.
XXV. Reuertamur ad ea, quæ obijciuntur, confusæ fidei, figmentorum excogitatorum; & ea diluere enitamur. Confudisse rerum sacrarum fidem insimulatur, qui obscuriori sermone, sed clarissimo intellectu sacras veritates clarificauit; qui accuratis-

ſimè quid naturale, quid ſupernaturale verum ſit, diſtinxit, vt in 1. prologi quæſt. in 3. diſt. 23. q. 1. in 4. diſt. 15. q. 4. & ſæpe alias. Item quidnam fidei obiectum, quid opinionis ſecreuit, vt in 1. diſt. 17. q. 2. d. 26. q. 1. & ſæpius. Tertiò & credendorum quædam naturæ ductu, nec de poſſibili, nec de facto ſciri; vt Trinitas in quol. 14. & in 1. d. 2. q. 7. quædam de poſſibili, non de facto, vt Dei viſio in 4. d. 49. q. 8. quædam vtroque modo comparari poſſe, vt Dei vnitas in 1. d. 2. q. 3. & alia ſexcenta notauit, quibus credita à creditis, credita à ſcitis, vtraq; ab ambiguis, & probabilibus tàm frequenter, tàm ſolidè, tàm ſubtiliter ſegregauit, vt ſingularem quãdam claritatem intemeratæ fidei attulerit; quandò pretioſiſſima illa reuelatorum dona à noſtræ notitiæ, vel opinionis fęcibus diſpeſcuit. Vnde igitur Scotus confudiſſe, & obſcuraſſe fidem dicitur? An propter incredibilem ipſius conſtantiam, & aliorum vilem ignaviam? Nam vir laborioſiſſimus ad pauca reſpicere non contentus, plurimas cribrare opiniones, perpendere argumenta, reſponſa examinare, nihil pro fidei illuſtratione intactum, aut intentatum indefeſſo ſtudio relinquere volens, delicatulis hiſce, quos iuxta Ariſt. 2. met. cap. vltimo, tædet certitudinis; delicatulis, inquam, laborare detrectantibus, quia neſciunt diſcernere, quid põderet, quid impugnet, quid colligat, cui occurrat, confuſus videtur. Sed ea confuſio in eorum mentibus eſt, non in Scoti animo. Ea eſt inolita hominũ conſuetudo, vt alios potius, quàm ſe reprehendãt: & quo vitio ipſi tabeſcunt, illud alijs appingant, vt immunes ipſi videantur. Similes ſimilia appetunt: qui Scotum legere cum prouentu cupit, ingenium & vegetum, & patiens afferto, alioqui abeſto, nam oleum, & operam perdet.

XXVI. Craſſam deinceps figmentorum caliginem Io-

uius

uius Scoto obijcit, quò obumbret; at sol Scoticus caligines depellet, dissipabitq; Quæ enim est ista caligo? crassities? figmentum? Fingere ea dicimur, quæ artificiosè excogitamus: sicut ergo naturam ars perficit, sic supernaturalem reuelationem artificiosa excogitatio decorat, & elucidat: elucidantibus autem vita promittitur sempiterna. Cæterum hic sensus laudantis est, Iouius non laudat. Quid itaque figmentum innuit? Chimæram? Hidram? aut horribilius aliquod monstrũ; ac truculentius? Profectò ita est. Fingere asseueramus eum, qui aliud exterius ostendat, ac interius sentiat: vnde & figmenta appellamus, quæ aliter, ac res se habeant compinguntur, siue ea non sint, siuè neque possibilia sint. Si quis hominem equum proferat, is figmentum, quod Centaurus vocatur, confingit, cuius partes connecti est omninò impossibile: sed infantem recens exortum ridere, figmentum est, non impossibile tamen. Colligo ex his Scotica scripta, vel falsa, vel impossibilia dici, à quibus obscuratur fides? cui falsum subesse nequit. Si hæc Iouij mens est, vt Scotus falsa, & impossibilia credendis miscuerit, iam ante reprobatus est, quando Scoti argumenta captiosa non esse patefecimus. Si aliud sẽtit Iouianus declaret. Dauus sum, non Oedippus. Monstrũ horrendum, ingens, falsum vero, impossibile necessario, figmentum fidei coniungere. Quod absq; probatione de Scoto dicitur, qua libertate asseritur, eadem negatur. Hinc rationem obseruo, propter quam Scotistæ Iouium refutare neglexerint; nam ij veritates contemplatores iuxta allegata, & probata iudicare assueti, eum qui probet, audiunt, qui non probet, negligunt. Ideo contemptui habitus Iouius, quòd futili elegantia falsum venustè dixerit, sed nulla est orationis turpitudo magis exotica, quàm falsitas. Nos nostram sequamur

con-

consuetudinem, vt ratione non probata, ratione reprobemus. Itaque Scotus falsa veris creditis non admiscuit, siquidem ex falso falsum per se, verum per accidens emergit; cur ergo ex falsis Scoticis non deducuntur falsa Dei verbo, vel tradito, vel scripto repugnantia? Scilicet, quia id fieri non potest. Nonne aduersariæ sectæ professores grauiter oppugnât Dunsiana placita? Cur ergo non patenter, & potenter expugnant? Respondebis, opinor, Scotistas sacres, & proteruos resistere. Veruntamen neque Scotista, neque Thomista huic iudicio facile acquiescet. Non Scotista, quia nec satis probat argumentum, quod probabilem habet responsionem: non Thomista, nec enim in omnibus, nec omnis præcipitata sententia dicet Scoti placita esse figmenta: nam & peritiores Thomistæ sunt multò modestiores Iouio.

XXVII Quintò iaculatur Iouius in Subtilem Doctorem, arguitque quod lites, & eas immortales seuerit, & inter fratres seuerit, & in rebus sacris seuerit: nam & ista supplenda in eis verbis, quæ ita habent. *Seuit enim adeò lites immortales, quando eius placita vel grauiter ab aduersæ sectæ professoribus oppugnata, ex aduerso ab eius discipulis acerrimè defendantur.* Satis amplificabo crimen, si Christum satorem pacis dixero, Scotum satorem litis. Neniæ tamen hæ de Scoto facillimo reuincuntur negotio. Duo nâque sunt propositionum genera, alterum humanum, alterum cæleste; in humanis placitis iudex est proprius intellectus, propria voluntas, & in his, si placet, discussio viuat immortalis. In cælesti disciplina iudex, atque decretor controuersiarum à veritate in veritate confirmatus est sanctus Petrus, & eius successor legitimus, Pontifex Romanus, cuius fides ne deficeret, rogauit Christus; de cuius ore

Isa. 59 verbum Dei non auferetur in sempiternum. Vbi iu-

dex

dex vtriq; parti probatus adest, lis immortalis nec est, nec esse potest. Si iudex sit proprium caput: quot capita, tot sententiæ; sed Ecclesiæ Dei vnum est caput, vna sententia. Thomas, & Ioannes illi capiti, illi iudici omninò deferunt, & eorum sequaces, si tamen sequaces. Decernat iudex, & ecce lis mortua, dirempta controuersia.

Quàm autem Scotus reueritus sit Patrem Patrũ, & Pastorem Pastorum Papam in 1. d. 5. q. 1. quæratur: sed hoc in Matenesium fusius explicui. Deinde ab effectu istud ipsum ostendam. Disputatum est ardentissimè, ac diutissimè de resumpto Christi sanguine in resurrectione, de Beatæ Dei parentis conceptione immaculata: acerbis quibusdam disputatoribus hæresis, & peccati iacula euibrantibus, ad iudicem itum, vtrique parti, ne ijs notis infamibus vterentur, indictum: dicto paruerunt. Ecce lis mortua. Sin autem ante iudicis decretum perconteris à mè, cur Scotistæ repugnent? Percontabor vicissim, cur Thomistæ oppugnent? Vtri standum Thomæ, an Ioanni, non decerno, iudicem habent. Illud negaturum arbitror neminem, quod in 2. Met. c. 1. & 2. Elench. vlt. Peripateticorum princeps animaduertit; nimirum posteriores, prioribus addidisse & lucem, & limam, multa correxisse, multa contulisse, vt ex omnium inuentis ars tandem esset perfecta. Quid impedit, ne id Scotus post Aquinatem sit assecutus? Iouij sagacitatem attendito lector, insigni nanque titulo Thomistas cum grauitate, Scotistas cum acrimonia disputantes inducit: ipse quoque acer, ne dicam, acerbus eo discrimine. XXViij

Denique vt omnis tollatur scrupulus, dicam, cui bono illud scholasticum inter Thomæ, atque Ioannis asseclis dissidium esse valeat: est enim maximo Reipublicæ Christianæ bono; si duo Scotistæ, aut XXIX.

duo

duo Thomistæ disputent, ficta pugna est; idem sentiunt, diuersa dicunt; ex ficto disserendi actu habitus fictus progignitur impotens; at si Thomista digladietur cum Scotista, tùm omnes ingenij vires exerunt, tùm doctrina, & solertia cogitata & inexcogitata suggerunt: argumenta, responsiones, replicæ, refugia omnia, nullus non mouetur lapis. Potentior ad secandum verus, quam pictus in tela gladius. Verax actus disceptandi veracem gignit habitum. Itaque ex colluctatione inter Catholicos, viuaciores in hæreticos insurgunt, intorquent, ac retorquent tela: technas omnes, nodos etiam Gorgianos, Pellæo ingeniorum gladio in petra Christo exacuto, rescinderent.

XXX. Vnum adhuc in quæstione hac à me considerari arbitror oportere circa veritates naturales, atque opiniones de ipsis, quas carere judice dixi, ac esse propterea litis interminatæ. Verum illud quidem est, vnde & nihil tam ratum vni sectæ, ac philosopho dederis, quod alius sectæ Philosophus non labefactare, ac demoliri tentet. Hinc Porphyrius in lib. de anima ad Birrythium ex Ambros. Lamocens. ait, Nullum esse in philosophia locum indubitabilem. Sapienter tamen Vniuersitates, præcipuè Parisiensis, ad refrænanda quorundam petulca ingenia, & nouitatem noxiam profligandam, judicij speciem erexerunt, etiam in veritatibus creatis; ne quis contentioso fastu, à maioribus salubriter inuenta, & probata conuellat. Hinc Articuli Parisienses prodiere, quibus & authores, & placita corriguntur; non quod liberum non sit cuiquam contra sentire, maximè si non sit eius Vniuersitatis alumnus: sed quia capitosi suspicionem inducit, qui proprium caput plurimorum, ac sapientissimorum virorum censuræ præponat. Iam quia Doctores & Angelicus, & Subtilis Parisiensis

sunt

ſunt academiæ: ſectatores eorum, Vniuerſitatis illius cenſuram non aſpernabuntur, quam eorum duces ſuſpicerent: præſertim Scotus, quæ Pariſienſis Vniuerſitas decreuit, decreueritque ſemper ſeruauit, vt in quol. 2. A. apertè conſtat, & in 2. diſt. 2. quæſt. 6. *Iſtud,* inquit, *videtur eſſe damnatum, ſicut quidam articulus damnatus ab Epiſcopo Pariſienſi, & excommunicatus. Quod ſi dicatur, quòd excommunicatio nō tranſeat mare, vel diœceſim. Si tñ fuit articulus condēnatus, ſicut articulus hæreticus, vbiq; eſt condemnatus, ſicut hæreticus, non authoritate diœceſani tantum, ſed etiam authoritate Papæ. extra de hæret cap. ad abolendam. Vel ſaltem ſententia eſt ſuſpecta, quando in aliqua Vniuerſitate ſolemniter eſt damnata.* Præſtans eſt igitur Ioannis Scoti doctrina, quam nec iudices fidei, nec opinionum cenſores hucuſq; damnauerunt erroris; cumque & iudices in vtraque cauſa naturali, & ſupernaturali .ſ. ſedere valeant, falſum eſt inter Scotiſtas, & Thomiſtas vigere lites immortales.

Sexta quoque inuritur macula Dunſiano candori, quòd præclara ſui ordinis ingenia à veritate abduxerit. En aduerſarij textum. *Sed qui aliquot præclara eius ordinis ingenia ad optimam frugem naca, diſtorto ſcilicet ad veritatem itinere, ſuſpendiſſe, perdidiſſeq; videtur.* Aggrauant crimen criminis circunſtantiæ: ſi enim vnum perdidiſſet ingenium, nō plura, vel ſi plura, ſed ea exoleta, ac deploratæ ſpei, non præclara, & ad optimam frugē nata: & itē ſi alienis non ſui ordinis mentibus detrimentum attuliſſet, facilius ferendum. Si etiam hoc præter ſpē eueniſſet, ipſo rectū docente ad veritatē iter, tolerandū videretur: at plura, præclara, optima, noſtratia perdidit ingenia conſultò, & cogitatò ſectæ fallacis author. Quàm multa? quàm grauia in vno crimine facinora? XXXI.

Verùm præſens accuſatio ijſdem, quibus nititur circonſtantijs, refutatur, ſiue ingenia præclara, ſiue

Mi-

Minorum ordinem consideres. Ingenia enim quò meliora, & fertilioris spei, eò facilius Scoticam fraudem deprehendissent, & se ab eo pro veritate falsitatem hausisse animaduertissent, iterque distortum relato pede vitassent. Oppositum euenit, nam qui solus erat, dux fortissimorum sapientiæ professorum delectus est. Mitto discipulos, alios considero, quorum non modica seges. Legerunt multos Alexandrum Irrefragabilem, Albertum Magnum, Thomam Angelicum, Bonauenturam Seraphicum, Richardum copiosissimum, Aegidium fundatissimum, Henricum solemnem, Gulielmum Venerabilem inceptorem Nominalium. Multos, inquam, legerunt, sed Ioannem Dunsium elegerunt. Talis Ioannes Canonicus, talis Petrus Tataretus, talis Antonius de Fantis, talis Georgius Ragusęus, & alij, inter quos Ioannes Sauius Venetus admirabili planè genio, & ingenio Patauij, atque Venetijs, sub Academicæ Pertinaciæ titulo, octo diebus, vtrobiq; eas. quę sequuntur, theses supra omnem opinionem annum secundum, & vigesimum agens defendit.

Quicquid dixit Scotus, benè dixit: Quicquid impugnauit iure impugnauit, & expugnauit. *In Commentarijs ad quattuor lib. sent.*

Quid si inter disputandum dicam? Nihil Scotus benè dixit (*demptis his, quæ sunt fidei*) nihil iure impugnauit.) *demptis hæresibus*, nihil expugnauit.

Sed miracula hæc ingeniorum citò, vel hebescunt, vel tabescunt. nam & ipse paulo post vitam cum morte commutauit. Iouius igitur tot, atqi tantis afflictus ingenijs, & contra ipsum, & pro Scoto conclamantibus, planè victus, & conuictus obmutescat.

Ad aliud probationis caput conuertor. Inter
xxxij. omnes regularium phalanges, quibus Christi decoratur

ratur. Ecclesia (sine ambitione dicam) nulla est copiosior Franciscana. Lege Emanuelem Rodericum in quæstio. Regul. tom. 1. q. 2. art. 3. Quot ergo numero viri omnibus numeris absoluti Scoto operam dederint in hac Religione, difficile est explicatu : à quibus, si rogati sint, an se perditos ob Scoti doctrinam arbitrentur, quid responsum iri putamus, nisi se seruatos in veritatis via, & in optimo tùm ad eruendas veritates occultas, tùm ad roborandas debiles, tùm ad omnes defendendas doctorem versatos? Nec eo quòd sint domestici testes reprobandi; cum etenim in Minorum collegio plurimi doctores classici (quos, si numerare pergam, stellas dinumerem) floruerint, ijs non neglectis, optimum tanquam communem magistrum susceperunt. Quanquam Minor. ...

Nullius addictus iurare in verba Magistri. Hũc sibi propositum habeat, si velit, sin' autem alium quemlibet sequatur. Et ego ex Minorum cætu sum, Seraphici sequax Doctoris, non Subtilis: quoniam ille ad sapienter amandum, hic ad cognoscendum aptior. Verum Scotistarum plurimi concionatores, disputantes, lectores Vniuersitatum, probatissimũ habent testimonium præclare eruditionis. Multi ad Episcopatus, Cardinalatus, & ad Pontificatum quidam euecti: quibus dignitatibus consequendis, doctrinam, quam profitebantur, plurimum contulisse non ambigimus. Postremò Scotistæ Scoticam callent artem; si fallax est, spontè falluntur: multò magis reprehendendi, si aduersarij veritatis semitam ostendant. Quis tamen crediderit, tot viros falli velle, aut fallere? sed qui Scotum patienter legerit, lectum perceperit, dilucidè cognoscet, quàm veracia eius dicta, quamque tutus eius differendi modus sit ad veritatem comparandam.

Nondũ finis: Pridem examinata doctrina septimo xxxiij.

loco

loco Scoti mores perstringuntur. Io uius quippe nulla in re Scoto pepercit. Accusatorem audiamus. *Manifesti, aut certè occulti alicuius criminis apoplexia correptus pœnas per soluit: ita quidem, vt nimis festinato funere pro mortuo tumulatus, quum redeunte vita serò morbi vim natura discuteret; frustra ad petendam opem miserabili mugitu edito, pulsatoq; diu sepulchri lapide, eliso tandem capite perierit.* Hoc loco tum pœnam, tum culpam pœnæ illicem Scoto imponit: & quoniam pæna est atrocissima, culpam nequaquam leuē conuenit suspicari. Eandem peccati, & supplicij seruabo distributionem, vt omnes intelligant, nihil me, nec subterfugere voluisse reticendo, nec obscurare dicendo. Atque in primis aliquod in Scoto peccatum confitendum mihi esse video: nam præter Dei filium, atque Deiparam peccati totius expertes; si omnes sanctos, & sanctas, cum hic viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Quantalibet fuerit in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, vna voce clamassent illud, quod ait Ioannes Apostolus: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Venialia peccata; quæ iustitiam non corrumpunt, sed retardant, vix collectim euitari posse Doctor seraphicus testatur. Hæc peccata in Scoto non negauerim.

XXXIV. Dunsium ergo scripsisse absq; peccato probatur luculenter, item & peccatum omne fuisse detestatum grauissimè, comprobant apertè, quæ scripsit in 3.d.3.q.1. & in 2.d.33.q 1. in 4.d. 50.q.2. Quare & luculenter demonstrandum est, Ioannem Scotum factis verba negasse. Imperatoria illa vox & iustissima, si accusare sufficiat, quis erit innocens? An non & ego accusare Iouium possem tanquam

ambitiosum, adulatorem, vendibilem, detractorem, effaminatum? An non & grauioribus incessere maledictis? An hæc quia scripta, ideò vera: & non potius expectanda probatio, antequàm credantur? Quo igitur teste, argumento, indicio Iouius tantum assertum confirmabit? Plus valet vnus testis oculatus, quam auriti decem, Plautus cecinit, sale non stultè mirando: at Iouius ipse in Dunsii actis oculatus testis esse non potest: sed à quibus audiuit? Apud quē legit? Ipse, ipse est author, ipse criminis Scotici primus excusor. Quàm diuersus Marcus Vlissiponens, in Chronicis Francisc. lib. 7. cap. 3. partis 2. Narrat hic author, Dunsium pauperem spiritu, & corpore, nudis pedibus, veste lacera, omnia reputasse quisquilias, vt Christum lucrifaceret: Christi amplexu inuisibili perpetim fructum, sed & visibili fuisse donatum. Narrat scientia fuisse præstantem, sed probitate longè præstantiorem. Oppone assertum asserto, lector, authoritatem authoritati, & si pius es, de pio Doctore piè præsumito.

Præterquam quòd versutissimum accusandi genus, fidem accusatori detrahit. Ait enim *Manifesti, aut certè occulti alicuius criminis.* Certè? certè? cur obsecro, certitudinem de occulto peccato, non de manifesto ingerit? Quoniam apertum scelus imponere, extremæ fuisset impudentiæ, cum à nullo proditum legamus; vir callidus occultum affirmauit crimen. Si tamen peccatum est occultum, nonne & Iouio, post ducentos annos, viuenti occultum erat? Incredibile est, nos occulta certò scire, qui maiorum nostrorum aperta crimina nesciamus. XXXV

Ad hæc, manifestum crimen accusare erat historici officium, vt exemplo pœnæ culpam sequentis, prodesset lectoribus, reo non detraheret. Quia tamen figmentum publicum non inuenit, occultum

nobis obtrudere sategit. Occulta verò Dei, aut diaboli reuelatione cognouit; Dei autem reuelationé Iouio factam non crediderim, sed potius diabolicam suggestionem: quando crimen occultum in proximo nec liceat temerè iudicare, nec si certò esse sciatur, indicare, nisi vel ad peccatoris animum corrigendum, vel ad alterius damnum præuertendum.

xxxvj. Fortasse ex pœna culpam, ex fumo ignem, ex effectu causam probare Iouius voluit. Teterrimum etenim funeris genus, maximæ pœnæ esse videtur, neque Deus est vltor, nisi prius homo fuerit peccator, ergo peccator est Scotus, qui Deo pœnas persoluit iustissimas. Grauiter Horatius.

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Lib. 3. carmin. Ode. 2. Et sacer Vates. *Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.* Psalm. 90. Si Iouius Dunsium legisset, se fallaciam consequentis committere cognouisset, dum ex truci funere graue argutatur crimen. Scotus in 2. d. 33. aliter hominis, aliter leonis mortem iudicandam, docet, hanc naturæ defectum, illam esse pœnam, quia culpa originaria præcesserat. Quam culpam in Scoto non negamus fuisse. Non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse: à truculenta morte abest aliquando culpa, ergo non probat culpam. Si Iouius de filijs Iobi, aut Iobo iudicet, istum tot malis tortum, illos miserè enectos, sceleribus plenos vociferaretur. Ex varia complexione, ex varijs violentijs, ex varijs euentibus, variæ lethi

Luc. 16 species oriuntur, lenes, asperæ. Grauissimo afflictus est morbo Lazarus ex natura, Isaias crudelissi-
Comest. in lib. mè sectus ex violentia, Iordanus in mari submersus
reg. Io. est ex fortuitá Dei dispositione; hos nihilominus
Micha. beatos censemus. Si magno cum tormento Ioannes
de viris Dunsius obijsset, vel ex morbi qualitate, vel ob

exer-

exercitium virtutis, à Deo dolorem inflictum dicere poteras, & non continuò scelus inferre. Sapientissimè Salomon Ecclesiastis 9. *Nescit homo vtrum amore, vel odio dignus sit sed omnia in futurum seruantur incerta, eo quòd vniuersa æquè eueniam iusto, & impio bono, & malo, mundo, & immundo, immolanti victimas, & sacrificiu contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator: vt periurus, ita & ille qui verum deierat. Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub Sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt, vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua: & post hæc ad inferos deducentur.* Cum ergo valeat finis tragicus, vel iusto, vel iniusto euenire; quamobrem à propositione, quæ duas veritatis causas habere valet, ad vnam illarum argumentaris? Hæc propositio, animal est, vera erit, alterutra istarum data, scilicet, homo est, leo est: captiosè autē colliges, quia est animal, igitur est homo, nam leo esse potest. Memini Iouium captiosè disputationis Dunsium damnasse, at ipse captiosè modò cauillatur. *illust. Dominic.*

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Mors sæua vel iustum exercendum, vel iniustum vlciscendum appetit, & vtrouis istorum dato, sequitur, aut sequi potest aspera mors, prout sententia Salomonis constat: & exemplo Sauli Regis, & Sauli Apostoli, quorū ille malus, hic bonus, vterq; tamen violenta morte peremptus.

Dissoluimus argumentū à negatione consequentiæ, dissoluamus iterum à negatione antecedentis. Neque enim quæ Iouius narrat, vera sunt. Ioannes Scotus nec sepultus reuixit, nec pulsauit, nec mugit (miserabilem hominis gemitum bouis appellat mugitum, non sine amarulentia) nec tandem eliso capite petijt. Non, ego primus, sed me prior Aubertus Miræus magnæ authoritatis vir in Chronico suo in annum 1308. fabulosum hoc mortis ge- xxxvij

nus deprehendit. Petrus Tossiniam. 3 lib histor. *in Scoto*, vt iniquum reprehendit. Idipsum & ego indicabo de Scoti morte ab opinionum varietate, atque earum iudicio: à sepulchri Scotici conditione: ab historicorum antiquorum silentio.

Primùm in Ioannis Dunsii obitu constant locus, ac tempus: locus est Agrippina Colonia, Germaniæ vrbs celebris: annus est 1308. die octaua Nouembris. Morbus, vt verisimilius apparet, est apoplexia sola. In hunc multi veraces, & multi fallaces conspirant: sed huic narrationi fabula est addita, quòd Scotus viuus fuerit sepultus, quam rem graues authores referunt, & retulisse contenti relinquunt: quidam leuiores varijs coloribus depingunt. Apoplexiam recensent Nurembergensis in Chronico, Hulielmus Bysengrenius, Bergomas in supplemento, Posseuinus in Apparatu, G. de Dreau, Gallus author in lib. de statu, & successu Ecclesiæ.

Secunda Iouij opinio putat, Scotum apoplecticum fuisse, viuũ sepultũ, desertuũq;, caput elisisse.

Tertia Sabellico audita, Dunsium in extasim raptum, ab eius rei nescijs pro mortuo tumulatum.

Quarta Volaterrani, Scotum à discipulis fuisse Parisiis graphijs confossum.

Quinta Genebrardi, Ioannem Scotum lethargo oppressum pro mortuo sepultum, sed postmodum in gradibus sepulchri corrosis manibus repertum.

Secundam sententiam, & quintam inter fabulas meritò computat doctissimus, & eruditissimus vir, atque in perscrutandis antiquitatum Coloniensium monimentis solertissimus D. Stephanus Broelmen, iuris vtriusque Doctor, & in patria Vniuersitate Agrippinensi publicus Canonum professor. In horum tamen authorum varietate satis patet, rumorem vulgi multiiugum ex capitum multitudine proficisci: neq; in re magni momenti vulgi fabulas,

quæ

quæ singulis sæculis, ne dicam ætatibus mutantur, sequendas. Cuius, cordate lector, sequeris opinionem? relationem? rumorem? Vnica Scoti mors, quā ob causam euasit tam varia? quia hominum vel maleuolentia, vel temeritate conficta, non ratione conquisita est. Tolarandum tamen Scotistis quia Scoto id commune est cum Pythagora, & Empedocle grauissimis philosophis, quorum mors vna, multipliciter fingitur, iuxta Diogen. Laert. in eorum vitis.

Iam hos omnes fidem sibi vendicare non posse à tempore, à loco, à personis ostendo. Non possunt, qui à Scoto centum, vel ducentis annis posteriores sunt, veram Scoti mortem agnoscere, quapropter ad contemporaneos recurrendum, quorū nullus tot figmenta. Non possunt qui loco dissiti vel maximè sunt, ea nosse, quæ alicubi fiunt, nisi per illic existentes, quando res fiunt. Omnes verò præcitati loco disiunctissimi erant ab Vbiorum Colonia: Iouius, Sabellicus, Volaterranus, Itali: Genebrardus Gallus: Germanis potius est accommodanda fides de rebus Germanicis, tales autem erant Nurembergensis, & Eysengrenius. Non possunt personæ æqualis ferè authoritatis, cum sibimet refragantur, sibi authoritatem conciliare, sed altera alteri authoritatem adimit. xxxviij

Sint magni nominis Iouius, Sabellicus, Volaterranus, Genebrardus: cur alter alteri præponitur? Cur vni, non alteri creditur? Aut omnibus, aut nulli credendum: Nullus probat nisi rumore vulgi. *Prædicari audio*, ait Sabellicus: *Dicitur*, inquit Volaterranus: *Ferunt*, scribit Genebrardus: Neq; solidiore ratione Iouius asserere potest. Quare prudenter, ac ingenuè Volaterranus fassus est scribens. *Nec satis de illius fine veritas comperta*. Si veritas vna est, quomodo tot relationes veræ?

Omnes igitur falſæ præter primam, quam nec probo, nec improbo, licet probabiliorem arbitrer: ipſam & Iouius, quo ſtola veri falſum adornaret, aſciuit, laudem ea in parte conſecuturus, ſi reliqua non addidiſſet.

xxxix. Nunc ad ſecundum propero. Sepultura Ioannis Dunſij non fuit vrna vacua, ſed foſſa, quæ illius ſuſcepto corpore terra eſt oppleta. Primitus quidem ante introitum Sacriſtiæ Franciſcanæ Colonienſis quieuit, ex Trithem. Abb. in Chronic. Hirſaug. ſed illic circa introitum Sacriſtiæ, neque ego, neque multi mecum vllum cauernoſæ tumbæ veſtigium inuenimus. Inter id temporis, quo Trithemius Coloniæ fuerat, & quo A. Milmanus Chronicum Colonienſe edidit, Scotus translatus eſt in Chorum Eccleſiæ Minorum, quo in loco deinceps quieuit. Sed neque tunc, neque cum tegumentum, ſublato marmoreo, æreum obtinuit, ſepulchrum habebat concameratum. Anno duntaxat 1619. menſe Ianuario tumulus effoſus fuit, & in arcæ quadratæ formam extructus: oſſa Scotica in arca plumbea concluſa, & in eundem locum repoſita die 15. Ianuarij præſentibus multis, tum ex religione, tum ex ſæculo honeſtiſſimis viris, maxima pietate erga Scotum, erga Scotiſtas merito, erga religionem cohortatione ad bonas literas capeſſendas: quibus & viuus, & mortuus Doctor Subtilis tantum honoris adeptus eſt, quantum pluribus thiaris, ac diadematibus non tribuitur. Quæ autem coniectura eſt Scotum viliore in loco concameratum habuiſſe ſepulchrum, in honeſtiore non habuiſſe? Quid? quod cæteri Regulares etiam nunc humantur Coloniæ, Minores præſertim, quibus nullum ſepulchrum inane præſto eſt, aut fuiſſe olim memoria eſt? Si itaque Scoto vacuum patuit ſepulchrum, aut Scoto ante mortem, aut poſt paratum eſt: antea paratum ſepulchrũ

inane

inane eſt credere, tum ex repentina morte, tum ex ætate, tum etiam quia non poterant vatinari fratres, eum, qui Oxonij lector, & Pariſijs Regens vixerat, Coloniæ moriturum. Poſtea ſpeluncam ei conſtructam arbitrari promptum eſt, ſed nimis multum temporis exegiſſet opus; quo tempore vera, ac falſa mors nullo negotio deprehenſa fuiſſet. Sed omiſſis argumentis, res ita habet, in terra humatus eſt. Quare nec pulſare, nec vocare, nec elidere caput, imò nec reuiuiſcere potuiſſet. Fabulæ hinc detectæ ſunt ex euidentia loci clariſſima.

Poſtremò ſcriptores in hiſtoria, vel maxime ſuſpicienda, vel horrenda, & omnino inſolita referunt. Quare igitur toto ſæculo priore poſt Scotum, & penè toto ſecundo id à ſcriptoribus prætermiſſum? Minutiſſimè, quod ad locum attinet, vrbem, eccleſiam, Eccleſiæ particulam ſignificarunt: minutiſſimè quoque annum, menſem, diem. Magna profectò incuria fuiſſet iſta narrare particulatim, & reticere mortem teterrimam. Nihil deſcriptũ, quia nihil mirandi deſcribendum, reperere. Abbas Trithemius in Chronico Hirſaug. & A. Milmãnus in Chron. Colon. qui Coloniæ antiquitates, dum eſſent Coloniæ, noſſe poterant, nil eiuſmodi ſcribunt, Germani tamen ſunt. Gulielmus Eyſengrenius, & Nurembergenſ. nil tale aſſerunt, & Germani ſunt. Denique vt omnis illa macula, quæ iam penitus inſedit, atque inueterauit in quorundam mentibus deleatur: duos Ioannis Scoti diſcipulos fidum, & infidum propono; fidelis Scoti nũcupatus eſt Antonius Andræas eius auditor, qui ad calcem Commentariorum 12. Met. præclarè docet Scoti memoriam in benedictione eſſe. Infidus euaſit Scoto Gulielmus Okam, qui nihil non tentauit ad Scoti doctrinam, ſcholam, nomen euertenda: & is nihilominus valentiſſimum hoc medium homini- XL.

bus à Scoto abducendis nunquam propofui, aut obiecit. Fallax igitur Iouius fpeciosfermonis cortice, fed amaris medullis in Scotum atrociter inuafit, Quot criminn? Quot probra? Quot infamiæ? Ignofce, amabo, lector fuauiffime, fi erumpentes indignationis flammas non cohibeam : fi exclamé, parce iufto dolori. Quid omifit, imò quid non cõgeffit,& expuit in Scotum, quò illius acta, dicta, mores, vitam, & mortem craffiffimis tenebris obuolueret? O feuerum virum.

Non pepercit patriæ Ioannis Scoti, quam importunam ingeniis excolendis afferuit.

Non religioni Scoti, cuius optima ingenia perdita proclamauit.

Non perfonæ Scoti, quem diro mortis genere defunctum edixit.

Non doctrinæ Scoti, quam confufionem, & illufionem effe fidei criminatus eft.

Non moribus Scoti, dum ipfum aperti, aut occulti criminis confcientia diuexat.

Non corpori Scoti, nam & apoplexia correptũ : & capite elifum truculenter defcribit.

Non animæ Scoti, quam licet non afferat damnatã, in fufpicionem damnationis rapit, dum fui ipfius peremptorem inducit.

Non denique requiei, & gloriæ Scoti, quũ tertio Scoti fæculo illam intercipere, hanc fit conatus denigrare. Quin & ipfam miferiam, cuius mifereri oportebat, infultabundus irrifit, dum miferabilem fingit fletum, & bouis appellat mugitum. Nonne feptem difcuffis accufationũ capitibus fepticipitẽ hydram virulentos euomentem ignes, repræfentauit? Sed iam Dũnfiũ aduerfus Iouium apud Deum iudicem caufam dixiffe arbitror; ego apud homines Dixi.

Epigram.

Epigrammatum Iouianorum expensio.

Iouius non contentus oratione soluta perstringere Scotum, suos Poëtas, vt in eum numerosis carminibus canerent, acciuit. Duobus autem siue epigrammatibus, siue epitaphijs, altero de Iani Vitalis, altero de Latomi haustu, desiderium sedatum est. Ridiculum videri possit, poëtarum dicta, vel dicteria veritatis norma examinare; cum Aristoteles 1 Metaph. in prol. scribat. *Secundum prouerbium, multa mentiuntur poeta:* vndè & lepidè Poetis Poeta cecinit. XLI.

Nam mir anda canunt, sed non credenda poeta.

Quæ tamen laudibus, aut probris dedita Pegasides, historicam potius soliditatem, quàm leuitatem poeticam seruare solent; non igitur ineptum erit veritatem, ac falsitatem epitaphiorum expendere, mensuras autem, deliciasue carminum alijs libandas, & librādas dimittere.

Principiò. Si hæc epitaphia sint, quemadmodum Bzouius agnouit, & versus ipsi sonant, falsus titulus erit, nam epitaphia sepulchro solent apponi, hæc autem nunquam appôsita sunt, vel erunt. Sed qualia sint carmina scrutemur. Prodeat ergo primus Ianus Vitalis. XLII.

Quod nulli vnquam hominum accidit, Viator,
Hic Scotus iaceo, semel sepultus
Et bis mortuus: omnibus sophistis
Argutus magis, atq; captiosus.

Tam vera sunt ista carmina, quàm verum est Scotum ipsa recitare. In ijs quàm mirè vixerit, quàm mirè obierit describitur. Miranda mors, qua Scotus fuit se pultus semel, & bis mortuus, primùm putata, secundò veraci morte. Ast primum carmen falsum videtur, dum nullum hominum, ait, prius esse sepultum, quàm moreretur. Num solus Scotus deli-

deliquium passus? lethargiam apoplexiam? Num in Scoto solo decepti sunt medici, & vespillones? Referam ex Hieronymo Montuo Mirebelli Domino, & Medico Christianissimi Regis in Anasceue morborum tomo 1. in epistola nuncupatoria, quæ sequuntur. *Aesculapius* in quit, *Apollinis filius archiatros, medicorumq; Deus appellatus, non solum morbos per sanauit, verum etiam mortuos ad vitam (vt veteres prehibent) reuocauit. Hippolytum, Glancum, & Androgeon: Id verum esse testis etiam est Samonicus, cuius versus subnectam.*

Tuq; potens artis reduces, qui tradere vitas
Nosti, atq; in cælum manes reuocare sepultos;
Qui colis Aegea, qui Pergama, quiq; Epidaurum
Huc ades.

Empedocles vero Philosophus, & Medicus celeberrimus maximam ex eo gloriam consecutus est, quòd mulierem defunctam, viuam dimiserit, vt testis est Diogenes Laertius. Asclepiades quoq; inter medicos famigerabilis hominem exanimatum elatum, comportatumq; ab rogo domi viuum reduxit, vti refertur apud Plinium, & Apuleium in lib. florid. Hæc ille. Quæ sic intelligo, non vt artis medicæ beneficio anima in corpus derelictum sit rursus reducta, sed vt in corpore prorsus sepulta, & mox exitura, retenta sit, vitaq; in demortuo non mortuo sit ad actum reuocata, atque seruata. Andræas Ebotensis de miraculis refert duplex exemplum eorum, qui reuixerit, & plura id genus passim occurrunt. Verum parui refert, si Scotus solus, aut non solus fuerit pro mortuo tumulatus. Illud planè falsum est: quod in Scoto asseritur, eum bis mortuum, & semel sepultum; semel etenim mortuus est, & sepultus pluries, scilicet quando translatus fuit, & quidem ter: primùm ex primo sepulchro in chorum Ecclesiæ Franciscanæ, secundò dum fuit extractus. vt nobilius

lius ei sepulchrum ædificaretur, tertiò cùm sepulchrum eruderatum est. Ad refellendum autem dictum de duplici morte apparente scilicet, ac reali sufficiant, quæ in Iouium, Bzouium, Matenesium scripta.

Ad secundam epitaphij partem, quæ Scotus docuit, sugillantem transgredior, in qua Scotus dicitur, Omnibus sophistis argutus magis, atq; captiosus, vt in prima parte persona violetur. in secunda doctrina. Siue per hyperbolem, siue per proprietatem loquatur Ianus, non moror. Dunsium verò super sophistas omnes argutum esse concesserim, quoniam omnes arguit sophistas, & in arguendo à nullo superatus, superauit omnes Captiosum verò fuisse pernego in his, quæ probare voluit; is enim deceptorius est syllogismus, cuius finis deceptio, sic & vir deceptor à fine nomenclaturam assumit; at Scotus argumentis à se factis catholicas veritates conclusit, in quibus credendis, qui se arbitratur decipi, re verà se decipit. Et si non nunquam opiniones comprobauit proprias, tanquam opiniones posuit, & in hoc neminem decepti; qui enim proponit certa pro certis, incerta pro incertis, nullatenus decipit: sic Scotus quæ opinione tenenda sunt, cùm incerta sint, vt incerta proposuit; quę fide credenda sunt, tanquam certa, quia & certa sunt, in lucem eduxit. Non ergo captiosus qui captiuculas nulli struxit. XLIII.

Prodeat secundus epigrammatarius, & ab endecasyllabis ad elegiacos nos transferat versus. XLIV.

Quæcunque humani fuerant, iurisque sacrati
In dubium veniunt cuncta, votante Scoto.
Quid? quod & in dubium illius sit vita vocata
Morte illum simili ludificante stropha?
Quum non ante virm vita ingularit adenpta,
Quàm viuus tumulo conditus ille foret.

Si primum distichum rigorosius examines, egregiam continet falsitatem; nam ius humanum positiuum in canonicum & ciuile distingui solet. Callentissimus iuris canonici erat Scotus, prout quartus liber Sentent. demonstrat abundè, at illius per paucas agitauit quæstiones. De iure ciuili nũquam disputat Scotus, nisi memoria sim penitus destitutus. An per iura sacra, & humana indicantur supernaturales, atque naturales veritates, cum vtrasque Doctor subtilis in dubium reuocet? Intelligat ita, si placet, Latomus; sed Scotus de musicis, arithmeticis, medicis veritatibus penè nihil dixit, non ergo omnes veritates naturales in dubium vocauit; sed neque supernaturales, putà Matenesio, historico rigore, expostulatum est nu. 44. & sequentibus.

XLV. In reliquis venusta comparatio interseritur, eaque in tribus principio, medio, fine: simile principium operandi est in Scoto, & in morte, stropha, hoc est artificium: simile medium, dubitatio: similis exitus, ludificatio: Scotus iuribus illusit, mors Scoto. Mors autem ab effectu in dubium vocare dicitur; quemadmodum enim dubitans in vtramque in neutram partem declinat, sed electione alteram in partem tandem inclinat. Ad eundem modum vita adempta, & corpus tumbæ traditum prius videntur: postea vita non adempta, & corpus tumulo egredi putatur: hic mors anceps pependit; demum elisione vitam ademit. Sed infelix est comparatio, nam exitus est dissimilis. Dunsius in dubium reuocat iura, at pro iure definit: mors reuocat vitam, sed contra vitam decernit. Fallitur ergo Latomus, quoniam artifex noster meliorem elegit partem, artifex suus deteriorem: artifex noster nec decepit, nec ludificauit iura, sed mors verè decepisset, ac ludificasset, si ita sese vt scribitur gessisset. De morte vera Scoti, & eius funere iam

in

in Iouium num. 37. actum. De dubitatione est aliquid addendum. Si etenim Scotus dubitauit, re, aut modo ipsum dubitasse confitebor: eadem quoque dubitatio de morte realis, aut apparens fuit. si Scotus re dubitasse dicitur, iam hæreticus dicitur, quod est purum putum mendacium. Constat ergo similitudo in modo, sicut enim Scotus modum dubitantis, nō rem circa sacra iura sumpsit ita: & mors reuera non fuit dubia in Scoto, sed hominibus eā in dubium reuocantibus, induit modum dubitantis, scilicet ex effectu in mentibus errantium, non in re ipsa. Si aliquem alium nobis sensum gignat Latomus, quia Scotus modo duntaxat dubitauit, mors, & re, & modo: præterquam quòd comparatio claudicat in medio, in exitu clarè ruit, nam scholasticus dubitans supernis dogmatibus non illudit, mors autem egregiè Dunsium ludificasset.

XLVI. Interea tacita quędam occurrit cogitatio: Si Latomus arbitretur, scholasticum dubitādi modum (nam Scotus alio modo non est vsus) esse medium ad illusionem sacrorum iurium quid inde? Malum, & quidem magnum inde. Lege Concilium Constantiense in sententia contra Hieronymum de Praga. Beatus Thomas, Beatus Bonauentura Scholastici Ecclesiæ Doctores: Alexander, & Albertus magni Theologi, totusque scholasticorum chorus damnatur à Latomo. Caueant scholastici, nam scholastica methodo illudunt sacris, ergo & à morte ludificabuntur. Cùm Bibliothecam quandam perscru tarer, incidi in Chronicum Citizense Pauli Langij ad ann. 1330 de Ioanne Scoto cuncta probantē, hoc pręter, quòd Theologiam philosophicè tractauerit; quam rem cum pluribus argumentis insectaretur, tum ego obmurmurare, quid Sanctus Thomas? Quid Sanctus Bonauentura? Quid alij Scholastici? Et suspicio incussa de authore. Cæpi

de

de Alberto, de Thoma quærere quid sentiret; Acer rimè in Albertum, cautius in Thomam scribit, sed tamen scribit. Suspicio maior. Deprehendi tandem authorem Chronici eorum fuisse Martino Luthero, & ei vehementer addictum, nam & Lutherum pluribus in locis, sed clarè sub anno 1342. & 1513. magnopere dilaudat, Leonem Decimum, ac Romanos ferociter diuexat. Quia ergo disputatrix Theologia est hæresum detectrix, ideo VViclef, Luther, Caluinus, aliique hæresiarchæ illam ad insaniam detestantur. Quid ad rem? Aliquid mali propter vicinum malum. Vereor scilicet, ne & iste Latomus, qui Luthero æqualis, aliquid oleat. Profectò me omni formidine liberasset, si rectius hanc dubitationem noxiam decantasset. Facilè qui aliū reprehendit, præsertim in rebus fidei, reprehensioni se ipsum exponit. Ergo vt concludam, Scotus rectè sentit de rebus fidei, rectum dubitandi morem assumpsit, & semper in veritate à Sancta Romana Ecclesia definita stetit. Si tàm certa eius mors, quàm fides, liberrimè erumpam, neque fidei à Scoto, neque Scoto à morte fuisse vnquam illusum.

FINIS.



Pri-

PRIMVS INDEX SENTENTIARVM,

quæ in Apologia Scoti sunt sparsæ.

Ex libro primo.

Non

Non potest in Ecclesia nimis digna persona; aut nimis dignus gradus inueniri ad consecrationẽ, vel dispensationem istius sacramenti, in quo veraciter, & realiter continetur ille, qui est sanctus sanctorum. num. 26.

Vir obediens loquetur victorias num. 28.

Potest à lingua discordare manus num. 28.

Potuit rectè operari plerumque, & non necessario semper rectè operabitur. ibid.

Eum, qui rectè scripserit, & inter probos vixerit, de cuius rectis actibus pluribus constat, præsumere in fine errasse, est reuera præsumere. num. 28.

Quis non horreat illud genus disputandi, ex quo mortem infaustam & incertam impendere cognouerit? nu. 31

Dubius in fide infidelis est. num. 32.

Scotus tanquam constantissimum habet, quod ex indefectibili fide Petri procedit. num 33.

Et si peccatũ sit à voluntate creata, nõ tñ est à Deo. nu. 34

Igitur ex Papæ damnatione, vel non damnatione, hæreticũ, vel non hæreticum Ioa. Scotus dijudicat. num. 35

Stultum est credere, cui licet mentiri. num. 35.

Historiographo est omnis posteritas creditura, nisi oppositum probetur. num. 35.

Nõ licet ergo historico falsũ cautè, vel ĩcautè scribere. n. 35

Neque culpa vacant, qui segnes fuerint in earum, quas scripturi sunt, rerum veritate inuestiganda.

Apparet quantæ sint gratiæ referendæ misericordiæ creatoris, qui nos per fidem certissimos reddidit in his, quæ pertinent ad finem nostrum, & ad perpetuitatem sempiternam. num 36.

Præsumptionis namq; est eadem certitudine humana, & diuina credi velle. nu. 37.

Diuino decreto simpliciter assentit Scotus, humano nõ itẽ: est quippe Deus verax, omnis aũt homo mendax. nu. 37

Omnis opinio circa res fidei debet esse cum plenissima præparatione ad assensum oppositi, si Deus oppositum per Sedem Apostolicam sanxerit. num. 38.

& inualescit in æternum. ibid.

Opera pretium me facturum reor, si quæ pertractata sunt, vno quasi obtutu videnda obiecero. num. 69.

In historico veracitas, in Epitomatario fidelitas deside-rantur. num. 70.

Dole te lapsum, non subleuatum. num. 70.

De rebus fidei dubium accusasti: nulla viro Christiano atrocior iniuria, nulla minus toleranda. num. 70.

Ex libro secundo.

NE transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. num. 1.

Non hortor ad mendacium, absit; aliud est falsum dicere, aliud verum tacere. num. 2.

Si & ea, quæ scripsisti, præteriisses eo quòd amico parceres, nemo iustè repreheder et. num. 2.

Certarunt illibata, & inextincta charitatis flamma Paulus, & Barnabas; Hieronymus, & Augustinus: atque ita reor, Aquinas, & Scotus. num. 3.

Trahit sua quemq; voluptas,

Voluptas historici veritas num. 8.

Quilibet scriptor eniti debet opus titulo consentaneum excudere. num. 8.

Nam bonum commune totius Ecclesiæ, & capitis eius, priuato Scoti, & Scotistarum præponenendum: & in primis Annalium Ecclesiasticorum authori, cui nil actis Ecclesiasticis esse debet antiquius.

Communis lætitia, communis tristitia, quia commune cor, communis anima. nu. 12.

Naturalis horror mortis ferendus, liber dissensus minimè, Ille hominis peccatoris est Dei conspectum fugientis, corporis fæces amantis. num. 16.

Beatus in via, beatus in patria eatenus est homo, quatenus Deum amat. Omnia vincit amor. num. 16.

In meliorem partem pietas inclinat. num. 17.

Neq; credere par est eũ, cuius ab ineũte ætate viuẽdi ratio

contradictorium ab aeterno in eis est determinatè verū. num. 54.

Qualis magister, tales discipuli; qualis pater, tales filij; qualis Princeps, tales subditi, num. 59.

Nemo tibi obiecerit, quod erraueris, nisi in errore perstiteris. num. 60.

Ex Libro tertio.

FAma neglectus crudelitas est, praesertim si non vnus aliquis, sed vniuersa communitas dignitate minuatur, num. 1.

Diuinum legislatorem non offendet, qui caeleste placitum sequutus, curam de bono seraphicae religionis nomine habuerit. ibid.

Qui placido potest vultu laedere, quae offendunt: eundem, quae defendunt placidiore legere oportet. nu. 1.

At mortuus corā viuentibus causam dicere non potest n. 2

Pium erit impotentem defendere, atque mortuum ab iniuria vindicare apud viuentes. num. 2.

Religiosa, & Christiana simplicitas libentius defensioni, quam offensioni aditum concedit. nu. 2.

Nemo aequus iudex inaudita parte decernit. num. 4.

Nonne quia haec historia, illa fabula est? vnde & historiam probare solidè potuit, fabulam neque valuit, neque pro eo quisquam valebit. num. 5.

Veruntamen insuperabilis veritas, quibus impugnatur armis expugnat. num. 7.

Opposita altrinsecus posita, clarius promicant. ibidem.

Morale est omnibus, vt qui fidē exigunt, fidē astruāt. ibid.

Si ergo credulitatem non astruit Iouius, credulitatem ne poscat. num. 7.

In criminibus vberior desideratur probatio, quàm in laudibus. ibid.

Res gestae, quae nulla temporum, aut regum certitudine commemorantur, inter aniles potius fabulas, quàm

mortui; eo quod viuos inuidia persequatur, auaritia deserat: mortuos ista cupiat ob gloriam, illa cum morientibus intereat num. 14.

Arte indiget artificiosi lector scriptoris. num. 16

Omnibus lædit verbis, cui lædere in anima est: ibidem.

Neutrum affirmo, qui neutrum confirmare valeo. ibid.

Demosthenes Græciæ, Cicero Latij lumina splendorem attulerunt maioribus, quem non receperant nu. 16.

Nec enim magnum est inter bonos bonum, aut inter doctos doctum esse. ibid.

Limitum incolæ nec pace, nec bello à prædis abigendis compesci possunt. num. 17.

Qui veritatis illusor, is non probus vir; qui Christianæ veritatis illusor, is reprobus Christianus num. 18

Non igitur probus, qui proteruus, captiosusq; in veritatem eat. num. 18.

Si humanas veritates aspernari ducamus improbum, diuinas irridere impium iure meritò censebimus. ibid.

Non oportere aliquam sententiam irrationabilem ponere, sed eius demonstrationem, aut inductionẽ afferre. ibid.

Syllogismus verax à captioso discriminantur fine, quòd ille veram conclusionem colligat, hic falsam, sed apparentem. num. 19.

Cuius finis non est deceptio, ille syllogismus non est deceptorius. ibid.

Quid enim optabilius Christiano, quam vt captiosissima quoq; argumenta & colligentur, & dissoluantur, vt omnium omninò infidelium os obruatur. nu. 19.

Qui hominũ nũq̃ errat, is errori Scotico nõ ignoscat. n. 20.

In veris ab Ecclesia indefinitis hæsitare cordati est; indefinitis constare fidelis: nam vt qui citò credit, leuis est corde, ita dubius in fide infidelis est. num. 21.

Nam vbique sophista odiosus, in superna autem doctrina detestandus. num. 22.

Qui nullam speciosiorem ornatiorem agnouit, quàm veraciorem, num. 22.

Si iudex sit proprium caput, quot capita, tot sententiae; sed Ecclesia Dei vnum est caput, vna sententia. ibid.

Posteriores prioribus addidisse lucem, & limam, multa correxisse, multa contulisse, vt ex omnium inuentis ars tandem esset perfecta num. 28.

Ex ficto disserendi actu, habitus fictus progignitur impotens. num. 29.

Potentior ad secandum verus quã pictus in tela gladius. Verax actus disceptandi veracem gignit habitũ. ibid.

Nihil tam ratum vni secta, ac philosopho dederis, quod alius secta philosophus non labefactare, ac demoliri tentet num. 30.

Nullum esse in philosophia locum indubitabilem. ibid.

Vniuersitates iudicij speciem erexerunt, etiam in veritatibus creatis, ne quis contentioso fastu à maioribus salubriter inuenta, & probata conuellat. nu 30.

Quia capitosi suspicionem inducit, qui proprium caput plurimorum, ac sapientissimorum virorum censura praeponat. num. 30.

Si tamen fuit articulus condemnatus, sicut articulus haereticus, vbique est condemnatus, sicut haereticus. ibid.

Saltem sententia est suspecta, quando in aliqua vniuersitate solemniter est damnata ibid.

Agrauant crimen criminis circumstantia, num. 31.

Si alienis non sui ordinis mentibus detrimentum attulisset, facilius ferendum, ibid.

Miracula ingeniorũ citò vel hebescunt, vel tabescunt ibid.

Quibus dignitatibus consequendis, doctrinam quam profitebantur plurimum contulisse non ambigimus, nu 32.

Si accusare sufficiat, quis erit innocens? num. 35.

Plus valet vnus testis oculatus quã auriti decem. nu. 34

Persutissimũ accusãdi gen⁹, fidẽ accusatori detrahit n. 35.

Incredibile est nos occulta certò scire, qui maiorum nostrorum aperta crimina nesciamus ibidem.

Quando crimen occultum in proximo nec liceat temerè iudicare: nec si certò esse sciatur, indicare ibid.

Index Sententiarum explicit.

SECVNDVS INDEX

PVNTA DISCVSSA

De Ioanne Duns Scoto in Apologia.

Index Secundus explicit.

TERTIVS INDEX
Rerum notabilium.

A

Alber-

De

B

Cale-

Eu-

L

Vni-

be-

Ma-

N

Nomi-

Pau-

Q

Titulus

Volun-

